DE POETARVM SCAENICORVM GRAECORVM SERMONE OBSERVATIONES SELECTAE.

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS
CONSENSV ET AVCTORITATE
IN ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA

AD

SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

PAVLVS MENGE
GOTTINGENSIS.

GOTTINGÆ.
TYPIS L. HOFERI.
MCMV.

De dissertatione probanda ad ordinem philosophorum rettulerunt
F. Leo et E. Schwartz.

Examen rigorosum habitum est a. d. IV Non. Sext. anni 1905.

Graecorum tragoedia et comoedia quantum inter se differant forma ratione argumento constat neque est quod hoc loco multis verbis exponatur. E differentia autem non tam formae quam rationis et argumenti sequebatur, ut genus quoque dicendi tragicorum recederet a comicis. Qui assequi studebat, quae ultra sollemnia et vulgaria posita sunt, qui materias tractabat, quae a vita cotidiana aliena sunt, eum communem quoque sermonem repudiare necesse erat. Comici autem poetae, qui argumenta tractanda sumebant e suo ipsorum tempore, quorum summa lex erat ridendo dicere verum, cum eorum, quorum auctoritatem carpendam sibi proposuerant, errores et vitia detegerent sine ulla verecundia et ipsos ludibrio et risui aequalium obicerent, nisi cotidiano sermone uti alio non poterant, neque plus eis permissum erat, quam ut illum interdum excolerent et expolirent, ut Aristophanes ipse dixit fr. 471: *χρῶμαι γὰρ αὐτοῦ* (*Εὐριπίδου* scl.) *τοῦ στόματος τῷ στρογγύλῳ, τοὺς νοῦς δ' ἀγοραίους ἧττον ἢ 'κεῖνος ποιῶ*[1]).

Eorum igitur, qui primi tragoediam arte conscriptam edebant, erat, ut sermonem sibi conformarent, qui ad materiam et consilium suum aptus esset. Qua in re quos potissimum imitarentur habebant poetas epicos et Dorum lyricos. Ut autem quivis Graecus et omnino omnes antiquitatis scriptores, cf. e. g. opera Taciti, aliorum, qui certo cuidam litterarum generi operam dabant, illius generis propriam copiam verborum et dialectum sequebantur, ita ut in quoque litterarum genere certis finibus circumscripta ratio dicendi oreretur et adhiberetur[2]), ita hac regula tragici poetae et ipsi alligati in eis fabularum partibus, quae ad poesin narratoriam accedebant, epicae, in ceteris doricae dialecti exempla potissimum sequebantur, e quibus compositis et ipsius poetae ingenio atque indole in suum modum redactis sermonem quem dicimus tragicum efficiebant[3]). Comoedia autem, quam quidem nos in animo

---

[1]) Cf. quoque schol. in Plat. Apol. 19c: *'Αριστοφάνης ἐκωμῳδεῖτο δ' ἐπὶ τῷ σκώπτειν μὲν Εὐριπίδην, μιμεῖσθαι δ' αὐτόν.*

[2]) Cf. Arist. rhet. 3, 12; Wilamowitz Die entstehung der griechischen schriftsprache, 32ste philologenversammlung zu Wiesbaden, Leipzig 1878; Zarncke Die entstehung der griechischen litteratursprachen, Leipzig 1890.

[3]) Miram de huius sermonis natura sententiam Rutherfordius Zur geschichte des Atticismus, Fleckeisen. ann. supplem. 13, 355 profert, qui eum ex ipsa Atticorum

habemus, in solo Attico nata et exercita, a maiore sorore sua formam tantum, dico dialogum, carmina, quibus adiecit parabasin, mutuata est. Sermone autem patrio utebatur neque aliarum dialectorum vestigia exhibet nisi aut in parodia epicorum vel tragicorum poetarum aut in versibus laudatis aut cum peregrinos homines in scaenam inducit[1]). In summa autem comoediae dialectus mera Attica est[2]), neque aliis inquinata neque nimis urbana aut rustica, ut apud ipsum Aristophanem legimus fr. 685: *διάλεκτον ἔχοντα μέσην πόλεως οὔτ' ἀστείαν ὑποθηλυτέραν οὔτ' ἀνελεύθερον ὑπαγροικοτέραν.*

Unus quisque autem poeta filius est suae aetatis et subiectus suo ipsius ingenio et naturae. Nemo dictionem alterius cuiusdam totam facit suam, ideoque eis, quae tragici a prioribus mutuati erant, alius plus alius minus suae patriae dialecti intermiscebat, qua de re melius iudicaremus, si primitiae tragoediae nobis servatae essent. Apud ipsum autem Aeschylum et auctoritatem priorum magis quam apud ceteros valentem videmus et exempla invenimus nonnulla, quae poeta e sermone communi patriae suae sumpsit. Non omni modo perfectus neque ad fastigium enisus apud Aeschylum sermo tragicus est, velut apud Homerum epicus, qui posteris omnibus exemplo erat, neque omnino perfectum hoc genus videri puto, cum Euripides et in dictione et in argumentis nimis multum suae aetatis moribus tribuerit[3]). Sophocles autem ordini eorum, qui sermonem tragicum, dico Aeschyleum, excolebant, omnino se non inseruit. Plus quam ceteri se applicans ad dialectum Ionicam et propriam Atticam maxime in eligendis verbis, nullam fere similitudinem quaerens cum antecedenti Aeschylo exceptis eis, quae magis universae tragoediae quam singulorum poetarum propria sunt, rationem sibi formavit dicendi, qua plenis et perspicuis verbis sententias pulcherrimas et uberrimas exprimebat neque minus abstinebat gravitate et severitate Aeschyli, rhetorica et dialectica Euripidis quam simplicitate et nimia interdum perspicuitate Aristophanis. Hanc autem rationem maxime cognoscimus e prima eius fabula, quae quidem nobis servata est; in ceteris

---

dialecto ortum esse dicit et in eo nobis linguam Atticam qualis fuerit saeculo sexto servatam esse contendit neque quidquam falsius esse putat, quam statuere tragicos poetas sermonem illum elatum arte et studio sibi conformasse. Ingentem illam differentiam dictionis, quae est inter tragoediam et comoediam, quae tamen haud ita multo aetate posterior erat, ita explanare contentus est ille, ut iudicet animi sollertia et alacritate hominum Atticorum eam factam esse, quos intra tam paucos annos linguam suam tam funditus immutasse dicit. Ipse Wittekindius, cuius libellum infra laudabo, contra eum disputavit; universa mea dissertatione haec sententia refelletur.

1) Cf. Speck De Aristophanis dialecto, Breslau 1878.

2) Cf. scholia in Dionysium Thracem, edita in Gramm. Gr. vol. III, p. 309, 34 et 567, 35 sq.

3) Cf. iudicia quae fecerunt Arist. rhet. 3, 2 et auctor περὶ ὕψους cp. 40.

magis magisque poetam videmus auctoritatem minoris sui aemuli sequentem [1]). Contra autem Euripidi Sophoclis sermonem exemplo fuisse vestigia nulla sunt; dubito tamen an in externa fabula adornanda, qua in re Sophocli multum ceteri debebant, minor maiorem imitatus sit nonnumquam. Id enim, quod persona, quae recens in scaenam prodit, in medio trimetro incipit verba facere, quod bis tantum apud tragicos inveni, Soph. Ph. 974: *ΝΕ. τί δρῶμεν, ἄνδρες; ΟΔ. ὦ κάκιστ' ἀνδρῶν, τί δρᾷς;* et Eur. IA. 414: *ΜΕ. φίλους τ' ἐπ' ἄλλους. ΑΓΓ. ὦ Πανελλήνων ἄναξ....* Sophocli tribuere iure mihi videor, etsi quaestionem accuratam de hac re desideramus.

Hic quem adumbravi est sermo poetarum scaenicorum Graecorum, de quo observationes nonnullas prolaturus sum. Legentis ante oculos ponam, quo modo sermo Aeschyleus ab Euripide receptus et excultus sit [2]), quantopere Sophocles maxime in prima quam novimus fabula ab illo sermone recesserit et appropinquaverit ad rationem dicendi communem, expolitam illam quidem et ornatam, et postea demum sub auctoritatem Euripidis venerit. Imprimis autem id mihi proposui, ut tragoedia in comparationem vocata demonstrarem, quae Atticorum propria essent, quem vere usitatum sermonem putare, quae generi dicendi elato et artificioso tribuere deberemus. Huius artificiosi generis origo duplex esse poterat; aut a tragicis ipsis formatum aut e dialectis variis sumptum est. Quibus quantum debuerint poetae ab aliis satis iam demonstratum est; qui ea de re plura desiderant, inspiciant dissertationes, quas conscripserunt Eichler, Gerth, Althaus, Wittekind, Aly [3]). Conatum autem hunc meum eo intempestivum non esse puto, quod primus fere talem quaestionem suscepi. Cum enim tragici poetae inter se iam a compluribus comparati sint, quorum, quantum dissertationes ad sermonem pertinent, laudo imprimis Pecz, Capff [4]), pauci tantum comoediam in hanc quaestionem traxerunt. Eorum, qui hoc

---

1) De dictione Sophoclea in universum verba fecit Jebbius praef. ad. Trach. p. 45 sqq; de auctoritate Euripidis quantum valuerit ad argumenta Sophoclis fabularum egit Wilamowitz Die beiden Elektren, Hermae vol. 18, 234; quantopere tamen suum ingenium secutus sit poeta in tractandis suis argumentis bene exposuit Luebker Ueber die characteristischen unterschiede des Sophokles und Euripides, 19te philologenversammlung, Braunschweig 1860.

2) Cf. Schirlitz De Euripide novi sermonis conditore, Halis 1865.

3) Eichler Formae epicae apud Sophoclem, Gottingae 1873; Gerth De tragoediae dialecto, stud. Lipsiens. 1868; Althaus De tragoediae dorismo, Berolini 1866, 1870; Wittekind Sermo Sophocleus quatenus cum scriptoribus Ionicis congruat differat ab Atticis, Gissae 1896; Aly De Aeschyli copia verborum, Bonnae 1904.

4) Pecz Die tropen des Aeschylus, Sophokles und Euripides, Berlin 1886, qui conspectum plurimorum similium librorum dedit; Capff Die poetische sprache der griechischen tragiker, Cannstadt 1895.

fecerunt, Lautensach et Prause[1]) intra nimis angustos terminos sese continuerunt; Peczi[2]) autem librum inspicere non potui propter linguam ignotam.

Cur autem ad comparationem cum antiqua comoedia instituendam tragicos poetas, non pedestrem quemquam scriptorem vocaverim, ipsum per se apparere puto. Quod utrumque poeseos genus eodem fere tempore et in eadem terra exstitit, quod argumentis tam diversis forma tot communia habet, gravissimae causae sunt. Eo tantum comparato, qui maxime oppositus est, sermonem comicum cognoscere possumus, sermonem Atticum qualis fuerit in suo flore, sermonem exeuntis saeculi quinti.

---

[1]) Lautensach Grammatische studien zu den griechischen tragikern und komikern, Gotha 1896; Prause De particulae πρίν usu tragico et Aristophaneo, Halis 1876.

[2]) Pecz Die tropen des Aristophanes, verglichen mit den tropen des Aesch. Soph. Eur., Ungarische Revue 13.

CAPVT PRIMVM.

Hoc primo capite tractabo quorundam vocabulorum vim ac significatum, neglecta eorum formatione. Atque elegi quidem ea nomina, quibus propinquitatis gradus significantur, quod ea omnium fere frequentissima inveniuntur apud utriusque generis poetas et imprimis idonea videntur ad demonstrandam propriam illam differentiam, quae est inter tragoediam et comoediam. Docturum me esse spero, et ad quas notiones certa nomina pertineant vel quibus apud alios contineantur, et quae nomina ad eandem notionem significandam a tragicis et comicis poetis adhibita sint. Praemonendum est me saepe brevitatis causa vocibus tragoediae et comoediae usurum esse, cum tamen dicam semper aut huius aut illius proprium sermonem.

Ut apud Homerum, ita apud tragicos poetas significatur nomine *παιδός* et filius vel filia respectu habito parentum et puer vel puella respectu habito maiorum natu aut digniorum hominum, ita ut comis et familiaris quasi appellatio fiat interdum. Imprimis chorus hac voce utitur, velut in Ch. fabula Orestes et Electra, eodem modo apud Sophoclem Electra a choro *παῖς* vocantur, qui, etsi aetate non provectior est, constat e mulieribus nuptis; apud Sophoclem ea etiam, quae chorum ducit, socias vocat *παῖδας* Tr. 821[1]). Ad animalia quoque pertinet significatus nominis *παιδός*, Ag. 50; Chaeremon fr. 5 *τὸν κισσόν* dicit *ἐνιαυτοῦ παῖδα*. Natu ille minor, qui *παῖς* i. e. puer vel melius familiariter filius vocatur, tantum abest, ut iuvenis vel adulescens esse debeat, ut O T. 1008 nuntius Oedipum, O C. 1491 chorus Theseum *παῖ* appellare possit. Apud unum autem Sophoclem legi nomine *παιδός* ad appellandum uti fratrem et sororem. El. 1130 *δόμων δέ σ', ὦ παῖ, λαμπρὸν ἐξέπεμψ' ἐγώ* soror fratrem, O C. 1255 frater sorores sic alloquitur. Cum autem his locis maior minorem vocet, plane singulares sunt duo illi versus OC. 1420, 1431, quibus Antigona *ὦ παῖ* appellat Polynicem, qui apud Sophoclem quidem sororibus natu maior est,

[1]) Numeros laudabo harum editionum Aeschyli fabulae, ed. N. Wecklein, Berolini 1885; Sophoclis Tragoediae edd. Dindorf-Mekler, Lipsiae 1896; Euripidis Tragoediae, edd. Prinz-Wecklein; Aristophanis Comoediae, ed. Meineke, Lipsiae 1860 Tragicorum Graec. fragmenta, recensuit Nauck, editio secunda, Lipsiae 1889; Comicorum Atticorum fragmenta, ed. Kock.

cf. versum 1255 modo laudatum et versum 346 [1]). Huius usus exempla prorsus non inveni; loci autem hi duo omnes criticos fugisse videntur, cum Campbellius El. 1251, ubi Orestes sorori dicit ἔξοιδα καὶ ταῦτα, iure παῖ, quod non pauci receperunt, repudiaverit, quod non solum non necessarium sed etiam falsum esse dixit, sororem maiorem a fratre minore παῖ appellari posse negans. Locis autem OC. fabulae quos tractamus appellationem illam effectam esse materna quasi sollicitudine Antigonae de fratris fortuna anxiae non recte putaverit quis. Apertum mihi est his locis, quibus soror fratrem maiorem, a quo ipsa παῖς vocatur, puerum — non filium — vocat, demonstrari, quam prope accesserit Sophocles ad sermonem comicum.

Antiqua enim comoedia universa nomen παιδός secundum vim eius principalem ita fere tantum usurpabat, ut esset puer vel quod nos dicimus Knabe, Junge. Itaque homines aetate provecti, quod apud Sophoclem et ceteros legimus, exceptis propriis servis Eq. 419, Pl. 624, παῖς vocari non possunt, quod evidenter apparet e versu Ve. 1297 sq. τί δ'ἔστιν ὦ παῖ; παῖδα γάρ, κἂν ᾖ γέρων, καλεῖν δίκαιον, ὅστις ἂν πληγὰς λάβῃ et eisdem fere verbis, quae dicuntur de Clisthene Th. 582. Non igitur tragice sonare hos versus dicemus secuti Nauckium, Fritschium, alios, cum apud tragicos nomen παιδός certa quadam aetate contentum non esse viderimus. Versu autem Th. 141 σύ τ' αὐτός, ὦ παῖ, πότερον ὡς ἀνὴρ τρέφει Mnesilochus quem dicimus appellat Agathonem usus ratione dicendi magni affinis sui, ut saepe in ea fabula.

Παῖς significare puerum plerumque iam dixi; praeterea est παῖς filius, παῖδες sunt et pueri et liberi sexus virilis aut utriusque coniuncti, ita tamen semper, ut significatus pueri, puerorum subaudiatur. Feminini autem generis παῖς, excepto cantici versu Ly. 1314 ἁγῆται δ' ἁ Λήδας παῖς, ubi filia intellegitur, non usurpatur nisi de virgine viro matura, Nu. 531, Pa. 868, Ly. 90, 595, 702, aut de muliere nupta Ly. 697, quasi ὑποκοριστικῶς dictum, cuius usus omnes fere linguae similia habent. Nusquam Aristophanes ipse filiam nomine παιδός significavit, — Ly. 701 contra scholiastae auctoritatem forma masculina articuli servata est, — neque usquam παῖς est parva puella, non adulta. Priori illi notioni sufficit θυγάτηρ, alteri παιδίον, velut Th. 731, cui, si opus est distinctione, adiectivum additur, ut Ec. 549 ἄρρεν γὰρ ἔτεκε παιδίον.

Hoc tam arte circumscripto significatu factum est, ut παῖς pro filio iuxta θυγάτηρ poneretur, velut Ve. 572/3 legimus εἰ μὲν χαίρεις ἀρνὸς φωνῇ, παιδὸς φωνὴν ἐλεήσαις· εἰ δ'αὖ τοῖς χοιριδίοις χαίρω, θυγατρὸς φωνῇ με πιθέσθαι; Antiphanis fr. 191 μήτηρ Ἰοκάστη, θυγατέρες, παῖδες τίνες. Inversus autem nominum ordo, dico υἱεῖς καὶ παῖδες, nusquam legitur. Illum usum apud ipsum Homerum invenimus, velut Il. 6, 245/7 ἔνθα δὲ παῖδες κοιμῶντο

[1]) Eadem aetatis ratio est in OT. fabula, cf. v. v. 1460, 1492, 1511, Wilamowitz ad HF. 834, cuius tragoediae semper alteram editionem me dicere moneo.

Πριάμοιο παρὰ μνηστῇς ἀλόχοισιν· κουράων δ'ἑτέρωθεν ἐναντίον ἔνδοθεν αὐλῆς . . ., 24, 161/6, et Passovius in lexico non pauca exempla similia attulit, ubi *κόρη* aut *θυγάτηρ* iuxta *παῖς* positum est. A tragoedia autem, quae *παῖς* libere usurpabat de utroque sexu, hic usus alienus fuit, nisi quod Euripides dixit An. 174 *πατήρ τε θυγατρὶ παῖς τε μητρὶ μίγνυται*; Cy. autem versu 584 *ἥδομαι δέ πως τοῖς παιδικοῖσι μᾶλλον ἢ ταῖς θήλεσιν* poeta dictionem communem secutus est. Plura exempla huius usus non exstant apud tragicos poetas; Sophocles Oedipum liberos suos dicentem facit *παρθένους* et addito adiectivo *παῖδας ἄρσενας* OT. 1459/62.

Significatus ille quem *παῖς* habet apud comicos principalis fuit et naturalis idemque duravit per saecula. Hesychius enim nomen ita explicavit: *πᾶς ὁ φύσει υἱὸς ὤν τινος, καὶ ὁ τῇ ἡλικίᾳ νέος, καὶ ἀντὶ τοῦ παρθένος, τάσσεται δὲ καὶ ἐπὶ τοῦ δούλου. ἄρτι ἀκμάζων.* Deesse igitur videmus apud eum notiones filiae et puellulae, additam autem filii.

Ex hoc nominis quod tractamus usu, quem cognovimus tam liberum in tragoedia tamque finitum in comoedia esse, primum sequitur differentia illarum verborum coniunctionum, quibus notiones coniugis et liberorum comprehenduntur. Aeschylus enim dixit Pe. 407 *ἐλευθεροῦτε δὲ γυναῖκας, παῖδας*, non plane eodem significatu sine particula Eu. 1028 *παίδων γυναικῶν*. Euripides scripsit *ἠρῶτα τε μὲ γυναῖκα παῖδάς τ'* IT. 665; saepius autem ille usurpabat *τέκνα*, ut Hel. 1275, HF. 1376 et loco vocabuli *γυναικός* nomen *ἀλόχου* HF. 1062, IA. 154, *δάμαρτος* HF. 574, 704, *εὔνιδος* IA. 807. Apud Sophoclem legimus Herculis iusiurandum Tr. 256/7 *ἦ μὴν τὸν ἀγχιστῆρα τοῦδε τοῦ πάθους ξὺν παιδὶ καὶ γυναικὶ δουλώσειν ἔτι*, quo in versu numerus ille *παιδί* collectivo sensu dictus plane singularis est neque defendi potest versu Homerico Od. 9, 199 *οὕνεκά μιν σὺν παιδὶ περισχόμεθ' ἠδὲ γυναικί*, ubi codices praebent *παισί*, grammatici *παιδί*, neque de quot liberis agatur satis scimus. Si intellegitur unus filius, singularis suo loco est, ut Ai. 1169 *πάρεισιν ἀνδρὸς τοῦδε παῖς τε καὶ γυνή*, Pl. 250; si autem numerus certo definitus non est, singularis repudiabatur in tali verborum coniunctione, neque recte Hermannus ad l. Germanicum nostrum „Weib und Kind", similia in comparationem vocavit. Non modo ceteris omnibus quos attuli et afferam poetarum locis pluralem legimus, sed etiam e. g. apud Platonem Gorg. 511 E *κυβερνητική . . . σώσασα καὶ αὐτὸν καὶ παῖδας καὶ χρήματα καὶ γυναῖκα . . . δύο δραχμὰς ἐπράξατο* et ibidem 473 B *αὐτός τε λωβηθεὶς καὶ τοὺς ἑαυτοῦ ἐπιδὼν παῖδάς τε καὶ γυναῖκα*, neque similia apud Xenophontem rara sunt. Coniectura *παισί* a Turnebo proposita est, a nullo recepta. Ab hoc usu nominis *παῖς*, qui est apud ceteros, comoedia recedere debebat. Haec enim, cum *παῖς* virilis sexus esset neque pro filio usurparetur, ad illam notionem collectivam et genere indistinctam exprimendam neutri generis nomine *παιδίον* utebatur, quod deminutivum, quo tragici prorsus non egebant, apud comicos non solum parvum puerum vel

puellam significabat, sed plane locum illius indistincti tragici *παῖς* occupabat [1]). Ita factum est, ut Aristophanes diceret Av. 131 *καὶ σὺ καὶ τὰ παιδία*, Ly. 1067 *αὐτούς τε καὶ τὰ παιδία*, Th. 1206 *ὡς τὴν γυναῖκα καὶ τὰ παιδί' οἴκαδε*, similiter Ach. 132, Ra. 587, 1408, Pl. 383/4 1104, fr. 588, quibus omnibus locis semper pluralem legi monuerim (cf. supra). Contra ubi de uno certo filio agitur legimus Pl. 250 *καὶ τὴν γυναῖκα καὶ τὸν υἱὸν τὸν μόνον* Quae autem exstat formula Av. 730 *δώσομεν ὑμῖν αὐτοῖς, παισίν, παίδων παισίν*, aut e precationibus sumpta est, aut eadem causa valuit, quae Pl. 614/5, ubi *εὐωχεῖσθαι μετὰ τῶν παίδων τῆς τε γυναικός* poeta scripsit metro coactus. Unum regulae videtur repugnare primo obtutu, quod legimus Eupolidis fr. 233 *γυναῖκ' ἐκίνουν κολλύβου καὶ παῖδα καὶ γέροντα*; nomine autem *παῖδα* filium vel filiam significari potius quam puerum vel puellam prorsus certum non est.

In hac re quam demonstravi prima sermo tragicorum a comicis recedit alia autem haec est. Apud illos *παῖς* cum patris vel parentum nomine coniungi quam saepissime solet, velut Ai. 1 *ὦ παῖ Λαρτίου* aliisque locis permultis. Comici autem hunc usum assumere non poterant, quippe quibus *παῖς* non tam filius quam puer esset. Aristophanes nomen *παιδός* ita coniunctum non usurpabat nisi in canticis, velut Eq. 561 *ὦ γεραίστιε παῖ Κρόνου*, cuius similes sunt versus Ve. 1466, Ly. 1314, Th. 129, 991, Ra. 1270; semel in tetrametro legimus nomen illud sic usurpatum, Nu. 1048 *τῶν τοῦ Διὸς παίδων*. Quaecumque autem exstant in trimetro, ex Euripidis fabulis sumpta sunt, Th. 891, 919, 1113, Ra. 1226, fr. 558. Afferre tamen non omiserim *παιδίον* semel cum patris nomine coniunctum legi, Pa. 1295 *ποῦ μοι τὸ τοῦ Κλεωνύμου 'στὶ παιδίον*; ea scilicet de causa, quod *παιδίον* deminutivum erat et nominis *παιδός* et nominis *υἱοῦ*. Ubi autem tragici *παῖς* scribebant, comici aut solo genitivo nominis utebantur praemisso articulo, qui usus apud omnes Graecos sollemnis erat, aut nomine *υἱοῦ*, velut Nu. 134 *Φείδωνος υἱὸς Στρεψιάδης Κικυννόθεν*, Nu. 1001, Ve. 98, 687, 1501, Pa. 1290, Ra. 22, 582/3, vel. *θυγατρός*, ut Ve. 1397 *τῆς Ἀγκυλίωνος θυγατέρος καὶ Σωστράτης*.

Tertium denique efficitur e vi principali nominis *παιδός* a comicis servata, ut apud eos dominus servum suum *παῖς* vocare possit. Hunc usum comicum ortum esse familiari quadam consuetudine inter dominum et servum instituta, ita ut servus filii loco habitus esset, adhuc contenderunt, qui usum nominis *παιδός* ignorabant. Hanc autem sententiam rectam non esse, sed usum illum comicorum ducendum esse e principali vi nominis quod tractamus demonstratur et illis, quae iam de ea cognovimus, neque minime ea re, quod *τέκνον* vel alia nomina, quae natum significant, nusquam sic usurpata

[1] De significatu nominis *παιδίον*, aliorum nimis severe neque convenienter cum usu comicorum egit Aristophanes Byzantius in libro suo *περὶ ὀνομασίας ἡλικιῶν*, de quo cf. Nauck Arist. Byz. fragmenta p. 88.

sunt. Apud comicos servus vocatur puer, non filius. A tragoedia hic usus ut dixi repudiabatur, cum ei *παῖς* aut ipse filius esset aut, si pro puero usurpabatur, comis et familiaris allocutio esset, quae non idonea ei videbatur ad servos vocandos, qui sunt *δμῶες, πρόπολοι*, sim. Semel quidem apud Lycophronem legimus fr. 2 *ἀλλὰ κυλίκιον ὑδαρὲς ὁ παῖς περιῆγε τοῦ πεντωβόλου*, sed haec verba e fabula satyrica sumpta sunt. Quod autem Aeschylus scripsit Ch. 649/50, ubi Orestes palatii foras pulsat, *παῖ παῖ· θόρας ἄκουσον ἑρκείας κτύπον. τίς ἔνδον, ὦ παῖ παῖ, μάλ᾽ αὖθις, ἐν δόμοις*; his versibus poeta consulto non aliter atque illis, quibus nutrix in scaena agit, dictione remissiore usus est, quod idem probatur alloquendi formula illa *παῖ παῖ*, de qua infra verba faciam. Haec duo sunt certa exempla nominis *παιδός* pro servo usurpati a tragicis; tertium autem, quod traditum est, eiciendum esse demonstrabo. Apud Sophoclem enim nuntiata morte Eurydicae Creo exclamat An. 1286 sqq.

ὦ κακάγγελτά μοι
προπέμψας ἄχη, τίνα θροεῖς λόγον;
αἰαῖ, ὀλωλότ᾽ ἄνδρ᾽ ἐπεξειργάσω.
1289 *τί φῄς, ὦ παῖ. τίνα λέγεις μοι νέον λόγον*
αἰαῖ αἰαῖ,
σφάγιον ἐπ᾽ ὀλέθρῳ
γυναικεῖον ἀμφικεῖσθαι μόρον;

Versum 1289 non respondere videmus ad strophae versum 1266 *ἰὼ παῖ, νέος νέῳ ξὺν μόρῳ*, qui sanus est. Corruptela igitur quaerenda est in eo versu, quem tractamus. Ac primum quidem eiciendum esse *λόγον* apparet, quod sine dubio ex eis quae praecedunt *τίνα θροεῖς λόγον* inrepsit. Iam si *λέγεις μοι νέον* alterum dochmium accipimus, offensam praebent verba quae sunt *τί φῄς, ὦ παῖ, τίνα*. In promptu autem esse videtur, cum talis sit sensus totius loci, a rege lamentante aeque ac versu 1266 *παῖδα* neminem vocari posse nisi filium. Creo omnino non haberet, quod tristem illum nuntium, quem iam v. 1286 allocutus est, iterum et quidem familiariter *παῖ* appellaret, quod Iebbius ad l. putat, illo ipso errore ductus, de quo supra verba feci, praesertim cum alibi rex servos vocare soleat *δμῶες*, sim., nusquam autem *παῖδες*. Sequitur igitur, cum Haemo filius appellari non possit hoc loco, ut vox *παῖ* corrupta sit. Coniecturae multae propositae sunt a viris doctis, quarum optima mihi videtur illa Engeri, quae est *τί φῄς, ὦ τίν᾽ αὖ λέγεις μοι νέον*, praeterquam quod offendo in illo *ὦ*, quod nusquam apud Sophoclem absolutum legitur, cf. OC. 224, neque ante enuntiatum interrogativum vel exclamativum ponitur a tragicis, cum contra Aristophanes scripserit Nu. 1378 *ὦ τί σ᾽ εἴπω*, similia Pa. 693, 1307. Ne illud *τίν᾽* quidem, cum praecedant *τίνα θροεῖς λόγον*, bonum esse videtur. Equidem versum sic legendum esse putaverim: *τί φῄς; ὦ πόποι*,

λέγεις μοι νέον .... Apud Sophoclem legimus *ὢ πόποι* bis, OT. 167 et Tr. 853; apud Aeschylum e. g. Ag. 1085 *ἰὼ πόποι, τί ποτε μήδεται.*

Jam enarravi tres illas usus formas, quibus maxime cernitur, quantopere sermo comicorum ab artificioso illo tragicorum distet. Pauca denique addenda sunt de nomine *παιδός* in allocutione usurpato.

Absolutum illud *παῖ*, omisso *ὦ*, apud Aeschylum omnino deest, apud Euripidem semel legitur, Ph. 532. Sophocles contra persaepe eo utebatur, velut Ai. 1409, OT. 444, Ph. 268, 372, 589, 776 aliisque locis. Apud Aristophanem ipso *παῖ* semper servus vocatur, ut Ach. 1121, Ra. 190, al., cum *ὦ παῖ* plerumque ad filium pertineat, Nu. 87, Ra. 840, al. Repetitis illis vocibus *παῖ παῖ* nemo nisi servus vocatur, semper, ut est natura exclamationis, omisso *ὦ*, excepto uno Aeschyli versu Ch. 650 *τίς ἔνδον, ὦ παῖ παῖ, μάλ' αὖθις, ἐν δόμοις*; ubi poeta formulae illi vulgari aliquid tragici coloris addidit praemisso illo *ὦ*. Ad haec autem verba sic coniuncta accedit nonnumquam ipsius *παιδός* nomen, qua re, quantopere vis vocum illarum debilitata sit, demonstratur, Pa. 255 *παῖ παῖ Κύδοιμε*, Pl. 624 *παῖ Καρίων*. Vocibus autem *παῖ παῖ* unum tantum appellari per se apparet, Ch. 649, Ach. 395, 1097, 98, 1118, 19, Ve. 1251, 1307, Pa 255, Av. 57, Ra. 464, ita ut iure offendamus in versu Av. 850, ubi Pisthetaerus sacrificaturus iubet:

παῖ παῖ, τὸ κανοῦν αἴρεσθε καὶ τὴν χέρνιβα

cum verbum plurale sequatur. At versibus 656/7 audivimus Pisthetaerum duos servos secum adduxisse, et pluralem illum illustraverit quis exemplis, velut Ach. 259 *ὦ Ξανθία, σφῷν δ' ἐστὶν ὀρθὸς ἑκτέος ὁ φαλλός*, Ve. 975, OC. 1102 *ὦ τέκνον, ἦ πάρεστον*, ibidem 1104, 1204 aliisque multis[1]), ubi unus ut gravissimus complurium nomine vocatur, cum verbum ad omnes pertineat. Haec autem exempla omnino non quadrant, cum Avium eo loco quem tractamus talis ratio non intercedat inter duos illos servos. Utrumque aequo modo ignoramus et praeterea offendimus in eo, quod illo loco duo servi vocantur ad munus, cui fungendo alibi unus sufficit, cf. Pa. 956, Av. 864, 958, Eur. IA. 1568/9. Coniecturae, quarum magnum numerum Blaydesius ad l. congessit, omnes a verbo tradito nimis recedunt, velut *αἶρ' αἶρε, αἶρ ὧδε*, aliae. Leniter autem mutato *αἴρεσθε* in *αἶρου σύ* locum restituisse mihi videor; de pronomine addito imperativi formae cf. Pa. 956 *ἄγε δὴ τὸ κανοῦν λαβὼν σὺ καὶ τὴν χέρνιβα περίιθι*, Av. 435, al.

Haec habui quae dicerem de voce *παῖς*; iam pauca proferam de alio vocabulo quodam.

Τέκνον a tragicis plane pro synonymo habebatur nominis quod est *παῖς*, ita ut *παῖς* abiisse in *τέκνον, τέκνον* in *παῖς* dicere nobis liceat. Comoediam contra eadem causa. qua *παῖς* terminos suos natura constitutos

---

1) Cf. Kuehner Ausführl. Grammatik der gr. Sprache II³ 1, p. 85.

transire non patiebatur sed uno certo significatu continebat, genere illud indistinctum τέκνον repudiasse apparet. Pro liberis scilicet Aristophanes nomine τέκνον usus est, exceptis canticorum versibus Ve. 1518, Ra. 211, 1356, Nu. 1165 et fragmento illo 585 tragice sonante ἄκων κτενῶ σε, τέκνον, tribus tantum locis, Ach. 891, Th. 469, 698, sermone tamen arte elato.

Pro puero autem omnino non legitur τέκνον, pro puella non nisi ὑποκοριστικῶς de virginibus vel muliere nupta dictum, eodem plane modo et eadem causa, qua παῖς usurpatum esse supra vidimus, Th. 1062, ubi quidem Euripides loquitur, 1181, 1198, Ly. 7. In fragmentis poetarum antiquae comoediae sex tantum exempla inveni, Aristophanis fr. 125, Hermippi fr. 8, Eupolidis fr. fr. 99, 103, Platonis fr. 173, Theopompi fr. 32, omnia autem certo quodam consilio usurpata, partim in proverbiis, partim paratragoedice dicta. Qualis autem fuerit usus novae comoediae e fragmentis cognosci non potest, cum non satis videamus, quae aliena, quae poetarum propria sint. Tragicum illum accentum syllabae τεκν invenimus Antiphanis fr. 163, Menandri fr. 1085; cetera exempla sunt haec: Anaxandridis fr. 56, Xenarchi fr. 5, Philemonis fr. fr. 156, 200, Euphronis fr. 8, fragm. adesp. 134, 402, 873.

Comicos igitur, cum tam pauca quae ab eis praebentur exempla sint, relinquere nobis licet, de tragicorum autem usu pauca dicenda sunt. Imprimis quidem quaerendum esse videtur, nonne apud eos differentia etsi non significatus at tamen usus inter nomina παῖς et τέκνον statui possit. Atque unum quidem inveni, quod neglegendum non esse puto.

Secundum vim suam etymologicam, qua τέκνον accedit ad significatum τοῦ τετεγμένου, quaeque e multis exemplis elucet, velut Io. 506 sqq. οὔτ' ἐπὶ κερκίσιν οὔτε λόγων | φάτιν ἄιον εὐτυχίας μετέχειν | θεόθεν τέκνα θνατοῖς, Me. 563 σπείρας τ' ἀδελφοὺς τοῖσιν ἐκ σέθεν τέκνοις, fr. 1132 v. 44 τὴν παῖδα καὶ τὸ τεχθέν (scl. αὐτῆς) non quidem illo Euripideo, τέκνον a tragicis poetis, minus autem diligenter a Sophocle, fere lege quadam usurpabatur respectu habito matris, παῖς patris[1]). Hic usus probari potest non solum multis illis exemplis, quae una quaque pagina legentur ab eo, qui huic rei animum attenderit, sed etiam illis apud Aeschylum et Euripidem frequentibus, cum apud Sophoclem et Aristophanem omnino desint, verborum coniunctionibus, quae sunt ἐγώ vel σύ τε καὶ τέκνα aut casus obliqui, velut Pr. 841 ἀποικίαν, Ἰοῖ, πέπρωται σοί τε καὶ τέκνοις κτίσαι, Pe. 221, 225, Se. 16, Eu 661 et apud Euripidem Me. 461, 620, HF. 456, 545, Her. 954, quibus omnibus ne una quidem excepta pronomen personale ad matrem refertur. His accedunt formulae quales sunt ξὺν ἀνδρὶ καὶ τέκνοισιν Me. 11, similes Or. 199, Tr. 41, 107, cum respectu habito viri dicantur γυναῖκα παῖδάς τ', sim., quae supra attuli.

[1]) Hoc iam pronuntiatum esse a Kaibelio ad El. 587 postea vidi, qui tamen nihil amplius de ea re dixit.

Nemo autem exspectabit hanc regulam quam cognovimus utique observatam esse. Quo magis oblitterata vi principali *τέκνον* et *παῖς* alterum ad alterum appropinquabant, eo frequentius nominibus promiscue utebantur poetae, velut, ut nonnulla afferam, legimus HF. 724 *σὺν μητρὶ παῖδας*, Hel. 1275 contra *μητρὸς τόδ' ἔργον ἢ γυναικὸς ἢ τέκνων*, HF. 1376 *τέκνων γυναικός τ'*, HF. 47 *σὺν μητρί, τέκνα μὴ θάνωσ' Ἡρακλέους* [1]). Haec sunt pauca, quibus impugnetur regula, quam tamen in summa servatam esse videmus, neque omiserim afferre praeclarum illud exemplum, quod legimus Me. 1363, ubi Iaso exclamat *ὦ τέκνα, μητρὸς ὡς κακῆς ἐκύρσατε* et Medea respondet 1364 *ὦ παῖδες, ὡς ὤλεσθε πατρῴᾳ νόσῳ.*

Porro autem probatur haec regula quam statui allocutionis formula, quae apud unum Euripidem invenitur, semper illa a matre usurpata: *ὦ τέκνον μοι*, Al. 313 *σὺ δ', ὦ τέκνον μοι, πῶς κορευθήσει καλῶς*, Io. 1399, IA. 613, Or. 124. Etsi enim constat pronominis personalis dativum nominibus eis, quae coniunctionem sanguinis significant, addi solere non raro, velut *ὦ σύγγονέ μοι* El. 1308, IT. 86, *ὦ θανὼν μοι πάτερ* Hel. 1028, *ὦ καινὸς ἡμῖν πόσις* Hel. 1399, tamen verba illa *ὦ τέκνον μοι* aliter intellegenda esse contendo. Exempla enim ea, quae supra protuli, secutus *τέκνον* illis locis passivum accipio et *μοι* accedere ad significatum verborum *ὑπ' ἐμοῦ* dico. Ita autem rem sese habere eo maiore iure contendere mihi videor, quod verba illa coniuncta semper a matre dicta sunt, ad quam imprimis pertinet verbum *τίκτειν*, neque usquam similis dativus nomini *παῖς* additus est, cum Her. 578, quem versum attulerit quis, *σοὶ παῖδές ἐσμεν, σαῖν χεροῖν τεθράμμεθα*, illud *σοί* pronomen possessivum melius accipiamus, et Hec. 202 sqq. *οὐκέτι σοι παῖς ἅδ' οὐκέτι δὴ | γήρᾳ δειλαίῳ δειλαία | συνδουλεύσω* dativus e verbo pendeat.

Hac differentia in usurpatis nominibus *παῖς* et *τέκνον* approbata defendere non cunctabimur versum illum primum a Reiskio, deinde ab aliis multis usque ad novissima tempora mutatum IT. 238, ubi pastor, qui iuvenes illos duos captos esse nuntiat, Iphigeniam alloquitur

Ἀγαμέμνονος παῖ καὶ Κλυταιμήστρας τέκνον

neque mutabimus *παῖ* in *τε*. Sensus enim loci hic est: Filia Agamemnonis, nata e Clytaemestra, cf. El. 115/6 *ἐγενόμην Ἀγαμέμνονος | κούρα καί μ' ἔτεκε Κλυταιμήστρα.* Similis est versus IT 800 *ὦ συγκασιγνήτη τε κἀκ ταὐτοῦ πατρός*, et plane eidem sunt IA. 896, ubi Achilles a Clytaemestra vocatur *ὦ τέκνον Νηρῇδος, ὦ παῖ Πηλέως*, Hi. 10 *ὁ γάρ με Θησέως παῖς, Ἀμαζόνος τόκος*; luculentissimum autem exemplum legimus Pr 141 sqq. *αἰαῖ αἰαῖ, τῆς πολυτέκνου Τηθύος ἔκγονα τοῦ περὶ πᾶσάν θ' εἱλισσομένου χθόν' ἀπειρήτῳ ῥεύματι παῖδες πατρὸς Ὠκεανοῦ.* Versu autem Eur. An. 884, quo confugit Weilius,

---

1) Hic versus multis de causis suspectus est et recte a Nauckio eiectus. Non bene Wilamowitzius eum retinuit.

Ἀγαμέμνονός τε καὶ Κλυταιμήστρας τόκος, eo minus aliquid contra probari potest, quod in allocutione ille versus positus non est, ut ceteri omnes quos attuli.

Ut supra demonstratum est *τέκνον* a comoedia alienum esse debere, ita rarius illud *τέκος* plane deest excepto versu Pl. 292, qui tamen Philoxeni imitatione ortus est. Aeschylus et Euripides haud ita raro utebantur nomine *τέκος*, velut Me. 851, Hec. 475, IA. 1614, ita tamen, ut prior ille solam formam *τέκος* adhiberet, Se. 185, 664, Su. 350, Eu. 537. Hoc loco monere non omiserim versus Eur. El. 1215 *τέκος ἐμόν* et OC. 216 *ὤμοι ἐγώ, τί πάθω, τέκνον ἐμόν* unica exempla esse apud omnes scaenicos poetas, ubi nomini appellativo in allocutione usurpato pronomen possessivum additum est, cuius usus quam frequentia exempla exstent apud Homerum omnes scimus. Nomini autem proprio additum legimus pronomen in allocutione apud Aeschylum, Ag. 1065 *Ἀπόλλων ἐμός· ἀπώλεσας γὰρ οὐ μόλις τὸ δεύτερον*, qui locus singularis est et ludo tantum illo etymologico effectus. Sed redeamus ad vocabulum *τέκος*. Tragico illo nomine usus est Sophocles semel tantum, El. 187, restituto illo certa correctura, quam exhibet codex Vindobonensis 281 saeculi 14—15 pro eo quod ceteri omnes servaverunt *τοκέων*. Sensus enim loci multum tractati

ἀλλ' ἐμὲ μὲν ὁ πολὺς ἀπολέλοιπεν ἤδη
βίοτος ἀνέλπιστος, οὐδ' ἔτ' ἀρκῶ·
ἅτις ἄνευ τεκέων κατατάκομαι,
ἇς φίλος οὔτις ἀνὴρ ὑπερίσταται

hic est. Electra consolationes chori reicit ostendens, quam frustra adhuc speraverit fratrem esse venturum, et quam vires magis magisque deficiant sublata omni spe salutis. Opus est ei auxilio et praesidio ab eis, qui patrem necaverunt. Quod tamen ut ab ipso patre petat, qui est sensus verbi traditi[1]), fieri nullo modo potest. In uno marito aut in liberis spes posita esset. Neutri autem ei conceduntur; qua de causa incidit in tantam desperationem.

Quod *γόνος* et *τόκος* a comicis reiciebatur, alterum quidem si significat filium, nisi quod Th. 845 de Hyperboli matre dicitur *ἀξία γοῦν εἶ τόκου τεκοῦσα τοιοῦτον τόκον* agnominationis causa, hac re secundum ea quae adhuc cognovimus probari dicemus utrumque vocabulum, praeterquam quod abstractam vim pariendi prae se ferebat, initio concretum nisi pro collectivo significatu progeniei usurpatum non esse. Apud Homerum *τόκος* hunc significatum habet (O 141, o 175), *γόνος* apud ipsum illum (Z 191, N 449) et apud Pindarum (O. 9, 76; 6, 36) filius est. Analogia igitur inditus est a tragicis nomini *τόκος* significatus filii, Se. 359 *Οἰδίπου τόκος*, OC. 69, 315, Hi. 520, Su. 925, ea tamen lege coercitus, ut exceptis duobus locis,

---

1) „Sie vermisst den schutz des vaters" dicit Kaibel ad l.

Euripidis scilicet, HF. 50 *Μινύας κρατήσας οὑμὸς εὐγενὴς τόκος*, El. 658, nomen *τόκος* ad ipsum patris vel parentum nomen quam artissime se applicaret, ita ut naturam eius debilem cognoscamus.

Collectivam autem vim *τόκος* apud tragicos raro prae se fert, tribus tantum locis, Cy. 162, El. 626 *τροφεῖα παίδων ἢ πρὸ μέλλοντος τόκου*, Se. 792, ubi nuntius choro fratres regios pugna cecidisse nuntiat

ΑΓ. φρονοῦσα νῦν ἄκουσον, Οἰδίπου τόκος
ΧΟ. οἴ 'γὼ τάλαινα, μάντις εἰμὶ τῶν κακῶν.
ΑΓ. οὐδ' ἀμφιλέκτως μὴν κατεσποδημένοι
ΧΟ. ἐκεῖθι κεῖσθον;

Hoc loco ab omnibus verbum traditum mutatum esse in *τόκοι* vel *τόκω* neglecta lectione varia *γένος*, quam altera manus adpinxit, quam maxime miror. Non enim ea res dubitationem movere debuit, quod ad nomen *τόκος* pertinet verbi numerus pluralis, non singularis. Hic enim usus, cum pro collectivo positum sit nomen, rarus non est, cf. Eu. 998 *χαίρετ' ἀστικὸς λεώς*, Pr. 831, 834 [1]), neque est quod offendamus in eo, quod participium plurale et verbum duale coniuncta sunt, quem usum invenimus e. g. Ai. 1169 *πάρεισιν ἀνδρὸς τοῦδε παῖς τε καὶ γυνή | τάφον περιστελοῦντε*, Al. 469 aliisque locis [2]).

Nominis autem *γόνος* vis collectiva uno tantum loco servata est, Ch. 252 *οὕτω δὲ κἀμὲ τήνδε τ', Ἠλέκτραν λέγω, ἰδεῖν πάρεστί σοι, πατροστερῆ γόνον, ἄμφω φυγὴν ἔχοντε τὴν αὐτὴν δόμων.* Versus enim Eu. 947, ubi de eis, quae terra fert, dictum est *γόνος* , graviter corruptus est, ita ut certo iudicare non possimus, neque bono eventu Wilamowitzium defendisse puto versibus Ch. 498/500

καὶ τῆσδ' ἄκουσον λοισθίου βοῆς πάτερ·
ἰδὼν νεοσσοὺς τούσδ' ἐφημένους τάφῳ
οἴκτιρε θῆλυν ἄρσενός θ' ὁμοῦ γόνον

traditum illud *γόνον* a Bambergeri coniectura quae est *γόον*. Discrepantia enim esset quam maxima, si Electra oraret patrem, ut misereretur sui i. e. filiae et totius progeniei filii sui Orestis, quae est sententia verborum traditorum. Singulare quoque esset, si eodem nomine *γόνος* in eodem versu et filia et progenies significaretur. Denique, quod gravissimum est, *θῆλυς γόνος* apud Aeschylum nihil esse potest nisi genus femininum, ut ipse Wilamowitzius Herodoti laudat illud *ἔρσην γόνος* (6, 135). *Γόνος* enim pro filia ab Euripide demum usurpatum est, quo de usu mox disseram. Certa autem correctura *γόον* est, contra quam quae Wilamowitzius protulit locum tenere non possunt; de vocabulo *ἄρσην* pro filio dicto verba faciam alio loco.

---

[1]) Cf. Kuehner, Ausführl. Grammatik der gr. Sprache II³ 1, 53.

[2]) Cf. Kuehner l. l. II 1, 73.

Significatum progeniei principalem fuisse nominis γόνος cognovimus. Terminatione autem masculina factum est, ut inde ab Homeri aetate γόνος esset filius, ita ut tragoedia eo nomine libere uteretur, non addito scl. patris nomine neque pronomine possessivo, velut Io. 356, Soph. An. 574, OC. 1531, quem locum restituit Nauckius. Euripides autem, qui idem in tractando nomine τόκος plurimum sibi sumpsit, non minus licenter egit cum vocabulo γόνος, quod ab eo usurpabatur aeque ac tragicum illud παῖς. Qua re factum est, ut γόνος filia etiam ei esse posset, Or. 1038 σύ νῦν μ', ἀδελφέ, μή τις Ἀργείων κτάνῃ ὕβρισμα θέμενος τὸν Ἀγαμέμνονος γόνον, ubi recte Hermannus contendit contra scholiastae auctoritatem, quem secutus est Weilius, et hic et Or. 82 Ἑλένη, τί σοι λέγοιμ' ἂν ἅ γε παροῦσ' ὁρᾷς, ἐν συμφοραῖσι τὸν Ἀγαμέμνονος γόνον unam tantum personam dictam esse a poeta, non duas. Idem vir doctus illo loco τὴν pro τὸν scripsit, sicut traditum est IA. 793 διὰ σέ, τὰν κύκνου δολιαυχένος γόνον. Ut enim Euripides dicebat ὁ et ἡ παῖς, ὁ ἶνις HF. 354 et ἡ ἶνις IA. 119, ὁ κάσις Hec. 428 et ἡ κάσις Hec. 361, nusquam autem articulum masculinum pro feminino usurpabat, sic ἡ γόνος quoque eum dixisse putare debemus. Hunc autem usum liberum eiusdem nominis pro masculino et pro feminino usurpati ipse excoluit, nullo praeeunte, uno tantum secuto, quantum scio. Eadem enim de causa Th. 117, ubi chorus Agathonis cantat ἕπομαι κλῄζουσα σεμνὸν γόνον ὀλβίζουσα Λατοῦς de Diana dictum, restituendum esse duco, quod iam Dindorfius proposuit, σεμνάν. Omnem autem dubitationem, quam quis fortasse retinuit in hac mutatione, poeta ipse tollit, cum scripserit Her. 817 τοὺς Ἡρακλείους ἦλθε δουλώσων γόνους, de liberis utriusque sexus coniuncte dictum. Si enim formam quae est ἡ γόνος poeta omnino reiecisset, hoc Heraclidarum loco collectivum singularem scribere debuit.

Eodem quo demonstravi modo τόκοι El. 658 et κόροι HF. 1326, ἃ δ' ἐκ πολιτῶν δῶρ' ἔχω σώσας κόρους δὶς ἑπτά, ab eo scriptum est, quod alterum nomen Aeschylus pro iuvene tantum, fr. 43 σὺν κόροις τε καὶ κόραις, Euripides autem e more suo, de quo infra fusius agam, et Sophocles pro filio etiam in usu habebant, velut Hel. 137 οἱ Τυνδάρειοι δ' εἰσὶν ἢ οὐκ εἰσὶν κόροι, El. 463, Soph. Ph. 562, Tr. 644 ὁ γὰρ Διός, Ἀλκμήνης κόρος, ut metro cogente legendus est hic versus, quocum contuleris exempla, quae supra, cum tractarem versum IT. 238 Ἀγαμέμνονος παῖ καὶ Κλυταιμήστρας τέκνον, attuli. Quod enim traditum est τε post Ἀλκμήνης nimis interpolationem olet.

Non minore quam in omnibus, de quibus adhuc disputavi, vocabulis utebatur Euripides licentia in adhibendo nomine κόρης. Huius autem nominis aeque ac vocis παρθένος vis principalis est mulieris, haud ita aetate provectae, nullo tamen respectu habito, utrum nupta sit necne,

velut Z 247 nuptae filiae Priami κοῦραι dicuntur [1]). Deinde autem hoc nomen significatu virginis et filiae innuptae sed tamen adultae continebatur, cf. Pr. 674, Ch. 168, Su. 151, OC. 40, El. 5, quae vis maxime probatur versibus Soph. Tr. 536 κόρην γάρ, οἶμαι δ' οὐκέτ', ἀλλ' ἐζευγμένην παρεισδέδεγμαι et 148 ἕως τις ἀντὶ παρθένου γυνὴ κληθῇ. Euripides autem usu Homerico (Z 247, A 98) ex oblivione protracto dicebat κόρην mulierem nuptam, Me. 623 πόθῳ γὰρ τῆς νεοδμήτου κόρης αἱρεῖ, 788, Hi. 141 aliisque locis, Or. 1438 ipsam Helenam. In alteram quoque partem Homerum (Il. 16, 7) secutus parvam puellam κόρην dicebat, velut Eumelus sororem suam appellat σύγκασι μοι κούρα Al. 410. Huic autem libertati Euripideae attribuere non dubito, quod Mnesilochus ille qui dicitur Th. 733 puellulam illam matri ereptam, quam 731 παιδίον appellaverat, κόρην dicit, ἀσκὸς ἐγένετ' ἡ κόρη. Ceteris enim locis, ut Ve. 1437, Ly. 473, 593, 595, Th. 405, 406, Ra. 444, κόρη, quod aeque ac παρθένος in comoedia prorsus sollemne est, cum κόρος uno illo paratragoedico fragmento 558 ἐς Οἰδίπου δὲ παῖδε, διπτύχω κόρω legatur, semper est virgo adulta, ut Theopompus dicit fr. 14 καταχύσματα ταχέως κατάχει τοῦ νυμφίου καὶ τῆς κόρης. Aeque ac nominis παιδός comoedia significatum κόρης priorem servavit, neque umquam ei κόρη est filia, nisi quod legimus ex deorum hymnis sumpta Δήμητρος κόρη Ra. 337 et Νηρέως κόραι Th. 325; quod autem exstat Pa. 119 δοξάσαι ἔστι, κόραι, ex Euripidis Aeolo sumptum est.

Adhuc exceptis vocabulis κόρη et κόρος, quibus propter similitudinem, quae eis est cum γόνος et τόκος, hic locum dedi, ea nomina tractavi, quae aut initio communia erant, deinde masculina fiebant, denique, excepto nomine παιδός ab Euripide demum, pro feminino quoque usurpabantur, aut quae retinebant significatum suum neutralem, quem primum habebant. Quibus alteris adicienda etiam sunt παίδευμα, γέννημα, λόχευμα, similia, quae omnia ab Euripide, qui talium formationum cupidissimus erat, inventa et frequenter usurpata sunt quaeque nobis infra copiosius tractanda erunt. Demonstravi autem utrumque nominum genus, et neutralium et communium, a tragoedia libenter adhibitum esse, quippe quae homines non tam personas suo genere distinctas et sui iuris intellegat quam neutralia membra universitatis quasi superioris et maiori arbitrio subiecta, velut eadem dicere solet τὸ ἐμόν pro ἐγώ, τὸ δοῦλον pro ὁ δοῦλος multaque alia, quae infra afferam. A comoedia contra talium generum nomina aut prorsus repudiata esse vidimus aut certo uno significatu contenta, ita ut iure exspectemus illa nomina, quorum genus inde ab initio certis finibus circumscriptum est, in ea maiorem locum obtinuisse. Ad ea autem perlustranda nunc transeo.

---

[1]) Cf. Wilamowitz ad HF. 834.

Υἱός a sincera tragoedia vitatum fere est. Apud Aeschylum hoc nomen bis legitur, Se. 596, fr. 320; Euripidea exempla inveni [Rh. 539], Tr. 987, 747, quem locum Nauckius correxisse mihi videtur, Or. 1689, fr. 424 ex Ixionis fabula sumpto, quae, ut Wilamowitzius[1]) demonstravit, circa annum 412 docta est, ita ut extrema tantum poetae aetate hoc nomen in usu fuisse videamus. Parvus hic est numerus locorum, qui minuitur, si modo iure dubitationem movit versus ille Or. 1689

σὺν Τυνδαρίδαις, τοῖς Διὸς υἱοῖς,
ναύταις μεδέουσα θαλάσσης.

Offendimus enim in eo versu primum, quod numerus pluralis nominis *υἱός* apud poetas scaenicos non secundam sed tertiam sequi solet declinationem, cf. unicum in tragoedia pluralis exemplum Soph. An. 571 *κακὰς ἐγὼ γυναῖκας υἱέσιν στυγῶ*[2]); deinde coniunctio verborum illa, quae est *Τυνδαρίδαις τοῖς Διὸς υἱοῖς*, apud scaenicos plane singularis est, apud alios raro invenitur, e. g. Dem. 24, 135; 35,6[3]), cum, si *υἱοῖς* omittatur, comparare potuerimus versus Ba. 366 *τῷ Βακχίῳ γὰρ τῷ Διὸς δουλευτέον*, Io. 188, alios. Quod autem in codice A ascriptum est *ὑγρᾶς* optime potest defendi v. v. Aesch. Su. 265 *συντέμνει δ' ὅρος ὑγρᾶς θαλάσσης*, IA. 948 *μὰ τὸν δι' ὑγρῶν κυμάτων τεθραμμένον*, Callimachi epigr. 18 aliisque locis.

Apud Sophoclem denique septem vocabuli *υἱοῦ* exempla invenimus; Aristophanes autem quam saepissime eo utebatur, atque tum imprimis, cum nomen sollemne *παιδός* usurpare non poterat, i. e. respectu habito parentum pro filio, velut Pl. 35 *τὸν δ' υἱόν, ὅσπερ ὢν μόνος μοι τυγχάνει*, Nu. 14, 797, et semper, si patris nomen addebatur, Nu. 134 *Φείδωνος υἱὸς Στρεψιάδης*, Ve. 98, 1501, Pa. 1290, Ra. 22 aliisque locis, quorum nonnullos supra attuli, cum nomen *παιδός* tractarem. In appellatione autem *υἱός* celebriori illi *παῖς* omnino cedere debuit.

Ex eo qui praevalet significatu nominis *παῖς* sequitur, ut saepius quam *υἱός* in tragoedia legatur *θυγάτηρ*. Apud Aeschylum quidem tria exempla invenimus, Ag. 84, 235, 1555; Euripides autem et Sophocles libere et saepe eo utebantur. Significat autem *θυγάτηρ* filiam, pro puella vel virgine nusquam apud scriptores Graecos legitur. Quod enim in Phalaridis qui dicitur epistula 137[4]) legimus *πέμπε δὲ τοῖς γάμοις τῇ παιδὶ θυγατέρας τέτταρας ὁμήλικας καὶ γυναικείας ἀμπεχόνας*, ubi *θυγατέρες* dictae sunt

---

[1]) Analecta Euripidea p. 173.

[2]) Cf. Kuehner l. l. I 1, 508.

[3]) Cf. Meisterhans Grammatik der attischen inschriften [3] p. 206: bei der offiziellen nennung eines buergers wird der genitiv des vaternamens zugesetzt ohne beifuegung von *υἱός*.

[4]) Cf. quae Lennepius annotavit p. 360 editionis suae, Lobeckius Phrynichi p. 239.

servae, ea verba blandam quidem appellationem accipere non licet, velut Th. 1184 saltatrix a Scytha *θυγάτριον* vocatur, — non enim appellantur servae —, sed iudicare debemus imitatum esse auctorem usum nominis *παῖς* de servo dicti, quem non recte intellexerat *παῖδα* filium interpretatus, quam rem supra impugnavi. Certe rectum non est statuere ei significatum principalem puellae, si modo is est principalis, notum fuisse, neque bene Ellendtius aliique illo loco fortasse nisi lectionem traditam defenderunt OT. 1101 *τίς σ' ἔτικτε τῶν μακραιώνων; ἆρα Πανὸς ὀρεσσιβάτα προσπελασθεῖσ' ἢ σέ γέ τις*[1]) *θυγάτηρ Λοξίου*; ubi cum filia Apollinis intellegi non posset, *θυγατέρα* acceperunt puellam illi viri docti. Non enumerabo tot illas coniecturas, quae propositae sunt; id tantum dixerim Arndti *ἢ σέ γ' εὐνάτειρά τις*, qui strophae versu 1090 *οὐκ ἔσῃ τὸν αὔριον* defendit, maxime mihi placuisse.

Cum autem Ellendti aliorumque defensione quaestio orta sit, hoc loco de progressu aut regressu significatus eorum nominum, quae tractanda mihi proposui, nonnulla uberius dicere mihi liceat. Ac primum teneamus, quod ad hunc OT. fabulae locum pertinet, ea nomina quae specialem quandam vim induerunt, dico *πατήρ, μήτηρ, υἱός, θυγάτηρ*, alia, ad significatum suum generalem, ita ut e. g. *ἀνήρ, γυνή, νεανίας, παρθένος*, al. futura fuerint, numquam redisse. Inversus autem ordo, ut scilicet vis generalis abeat in specialem, invenitur, non tamen ita, ut late usus pateat. Atque ea, quae prima ita usurpata sunt, omnes Graeci receperunt, velut *ἀνήρ, γυνή, θυγάτηρ, παῖς*, de cuius postremi usu circumscripto supra egi. Horum autem analogia quae formata sunt, tragici sibi reservaverunt, quorum maxime quidem Euripides talis generis nomina excoluit.

Apud hunc enim legimus *παρθένος* pro filia dictum[2]), Or. 1536 *παρθένον τε καὶ δάμαρτα δύο νεκρὼ κατόψεται*, Or. 22, 64, Tr. 484, Ph. 1430, IA. 49, 714, 1107, 1267. Quin etiam parentum nomen additur, IA. 494, IT. 1230, HF. 834, Ph. 159, fr. 515 *Οἰνεὺς . . . . ὅς ποτ' Ἀλθαίαν γαμεῖ, Λήδας ὅμαιμον, Θεστίου δὲ παρθένον*. Audacissime autem poeta Oedipum appellantem facit filiam *ὦ παρθένε* Ph. 1539, quod caveas ne pro puella dictum esse intellegas, ut *παῖς* pro puero. Non enim appellantur filiae a parentibus *παρθένοι*, sed *παῖδες*. Eodem modo *ἄρσην* est filius Su. 1102 *πατρὶ δ' οὐδὲν ἥδιον γέροντι θυγατρός· ἀρσένων δὲ μείζονες ψυχαί, γλυκεῖαι δ' ἧσσον εἰς θωπεύματα*, Or. 24; *νεανίας* autem Su. 1092 *ὅστις φυτεύσας καὶ νεανίαν τεκὼν ἄριστον*, Ph. 1243 addito patris nomine *δισσοὶ γέροντος Οἰδίπου νεανίαι*[3]).

---

[1]) *τις* deest in L.

[2]) Nonnulla de huius nominis usu dixit Wilamowitzius ad HF. 834.

[3]) Simile exemplum inveni apud Platonem Gorg. 481 E, ubi Gerckius offendit in coniunctis verbis *τὸν Πυριλάμπους νεανίαν*. Hanc autem rem diiudicandam eis relinquo, qui Platonicae dictionis peritiores sunt.

Eadem plane quam cognovimus libertas cernitur in eis nominibus, quibus pater aut mater significatur. Atque ille quidem dicitur *ἄρσην*, Ph. 943 *ἔκ τε μητρὸς ἀρσένων τ᾽ ἀπό*; *πρέσβυς* Hec. 161, Ph. 327, HF. 976; *γεραιός* HF. 115; *γέρων* HF. 455, 544, 1001, ita ut versu HF. 575

τῷ γάρ μ᾽ ἀμύνειν μᾶλλον ἢ δάμαρτι χρή
καὶ παισὶ καὶ γέροντι;

a plerisque acceptum illud *τεκόντι* recte mihi videar reicere, praesertim cum *τεκόντι* aegre tantum carere posset articulo, qua de re infra s. v. agam. Mater autem vocatur *γραῦς*, An. 612/3 *παίδων τ᾽ ἄπαιδας γραῦς ἔθηκας ἐν δόμοις πολιοὺς τ᾽ ἀφείλου πατέρας εὐγενῆ τέκνα*, Cy. 306; *γεραιά*, Ph. 1694

OI. *προσάγαγέ νύν με, μητρὸς ὡς ψαύσω σέθεν.*
AN. *ἰδού, γεραιᾶς φιλτάτης ψαῦσον χερί,*

ubi plane falsum est quod Schmidtius coniecit *παρειᾶς* neque a Wecklinio accipi debuit. Antigona enim intellegit suam matrem, ut apparet e versu 1693, quem exscripsi, non uxorem patris. Quod autem Valkenaerus ad l. proposuit *γεραιᾷ φιλτάτης* Hermannus recte refellit.

Haec tralatio verborum, quam paucis demonstravi, eo facilius intellegitur, quod ad aetatis rationem, quae intercedit inter eum, qui his nominibus vocatur et illum, cuius respectu habito propinquitas illa intellegitur, se accommodat ita, ut e. g. *παρθένος* non sit filia aetate provecta aut nupta, *νεανίας* non filius senior [1]). Plane autem singularis est tralatio ea, qua Euripides uti ausus est IA. 1449, ubi Clytaemestra filiam interrogat *εἴπω δὲ παρὰ σοῦ φίλον ἔπος τι παρθένοις*, quo loco *παρθένους* esse sorores probatur versu 1447 *τί δὴ κασιγνήταισιν ἀγγείλω σέθεν.* Magis etiam cognoscitur poetae audacia versibus An. 174/5, qui sunt *πατήρ τε θυγατρὶ παῖς τε μητρὶ μίγνυται κόρη τ᾽ ἀδελφῷ.* Hunc autem usum ut imitaretur nemo pellectus est. Aristophanes eandem sententiam Nu. 1372 ita expressit, ut diceret *ὡς ἐβίνει ἀδελφὸς ὡλεξίκακε τὴν ὁμομητρίαν ἀδελφήν.*

Omnia quae adhuc protuli exempla ex Euripidis fabulis sumpta sunt, quem huic usui vehementer indulsisse satis probavi. Praecedebat autem ei Aeschylus. Ille versus Ch. 500, de quo supra dixi, *οἴκτιρε θῆλυν ἄρσενός θ᾽ ὁμοῦ γόον*, hoc modo intellegendus est, et alter exstat locus, quo similem usum invenimus, a criticis varie tractatus et deformatus. Ag. 338 sqq. regina Troianorum captorum condicionem his verbis describit:

---

[1]) In omnibus linguis exempla huius usus similia inveniuntur, etsi multo rariora; e. g. dicit Tacitus ann. 5, 9 de liberis Seiani: igitur portantur in carcerem, filius imminentium intellegens, puella adeo nescia, ut crebro interrogaret...; cf. nostrum Junge, Gallicum fille, alia.

οἳ μὲν γὰρ ἀμφὶ σώμασιν πεπτωκότες
ἀνδρῶν κασιγνήτων τε καὶ φυταλμίων
παῖδες γερόντων οὐκέτ' ἐξ ἐλευθέρου
δέρης ἀποιμώζουσι φιλτάτων μόρον.

Is qui usum illum liberum, quem nunc aperui, ignorat, facere non potest, quin offendat in illo *γερόντων*, ea scilicet de causa, quod in tertio enuntiati membro aetatis quidam gradus commemorari videtur, cum antea necessitudines tantum significatae sint. Agitur autem, ut hoc strictim dicam, de maritis, fratribus, senibus, neque recte locus accipi mihi videtur ita, ut *ἄνδρες* divisi esse in fratres et senes dicantur, cum *οἳ μὲν* 338 non sint accipiendi liberi Troianorum, sed omnes Troiani, qui quidem pugnae superstites fuerunt. Ea igitur de causa, quam modo exposui, Hermannus ad l. mutando effecit *τεκόντων*, quod maiore iure facere sibi videbatur, cum eos, quos ceteri amplecterentur, in urbe defendenda caesos esse putaret et defensores esse senes negaret. Sed cur senes pro urbis salute pugnasse non putemus? Cf. versus Se. 10/11, ubi Eteocles cives hortatur *ὑμᾶς δὲ χρὴ νῦν, καὶ τὸν ἐλλείποντ' ἔτι ἥβης ἀκμαίας καὶ τὸν ἔξηβον χρόνῳ . . . ., πόλει τ' ἀρήγειν*. Qui autem illi *γέροντες* essent, poeta clare dicere omnino noluit. Priamum ipsum inter liberos necatum ei in mente fuisse quis negare poterit? Nomen autem *γερόντων* iuxta *παῖδες* usurpatum est sollemni usu, ut notiones illae eo magis inter se opponerentur, et maior miseriae species fieret; conferas Callimacheum illud *κείρονται δὲ γέροντες ἐφ' υἱάσιν* (3, 126), Hec. 161 *φροῦδος πρέσβυς, φροῦδοι παῖδες*, An. 612/3, HF. 455, OT. 182. Videmus igitur hoc loco *φυταλμίων γερόντων* eodem plane sensu dictum esse, quo a Sophocle fr. 720 scriptum est *προσῆλθε μητρὶ καὶ φυταλμίῳ πατρί*.

Haec sunt exempla Aeschylea, quae proferri possunt. Num autem Sophocles usum illum de quo agimus omnino receperit, tam certo diiudicari non potest. Fieri tamen potest, ut Euripidem imitatus duos locos sic scripserit, eoque magis id crediderim, quod ipsum illud nomen usurpatum invenitur, quod Euripides praecipue adhibebat sensu tralato, dico *παρθένος*. Tr. 1219 *τὴν Εὐρυτείαν οἶσθα δήπου παρθένον* etsi adiectivo illo, quod significat „e domo" vel „e familia Euryti" impediri videmur, quominus *παρθένον* intellegamus filiam, tamen exstant exempla, quibus cum nomine *κόρης* similia adiectiva coniuncta sunt, velut Pr. 614/5 *κόρης τῆς Ἰναχείας*, Soph. El. 570 *Λητῴα κόρη*, alia, quae in accipiendo Trachiniarum eo loco sequi malim. Alter locus est OT. 1462 *ταῖν δ' ἀθλίαιν οἰκτραῖν τε παρθένοιν ἐμαῖν*, ubi, cum antecedat 1459 *παίδων δὲ τῶν μὲν ἀρσένων μή μοι, Κρέον, προθῇ μέριμναν*, intellegere debemus *παρθένοιν* filiarum.

Jam qualis sit usus Aristophaneus ipse cognoscet, qui memoria tenuerit ea, quae supra dixi. Ut comicis *κόρη* filia non erat, *παῖς* non filius, ita cetera quoque huius tralationis exempla evitata plane esse apparet. Sollemnia autem

illa, quae supra iam attuli, ἀνήρ, γυνή, θυγάτηρ, omnium Graecorum communia erant. In cantico legimus Ra. 875 ὦ Διὸς ἐννέα παρθένοι ἁγναὶ Μοῦσαι, quae verba naturam sermonis Euripidei prae se ferunt; ab ipso hoc dicitur Ra. 950 ἔλεγον .. χὠ δεσπότης χἠ παρθένος χἠ γραῦς ἄν, quod tamen usus tralati exemplum certum non est. Quantum autem differat ab Euripidis versibus An. 174/5 Aristophaneus ille Nu. 1372 supra iam demonstravi, et quod iam dixi Eupolidis fr. 233 γυναῖκ' ἐκίνουν κολλύβου καὶ παῖδα καὶ γέροντα significatum nominis παῖδα statui certo non posse, idem valet de nomine illo γέροντα. Quod autem a comoedia antiqua plane repudiatum esse videmus, in artificioso sermone Novae, qui arte ad Euripidem sese applicabat, rursus apparet. Apud Diphilum legimus fr. 126 Προιτίδας ἁγνίζων κούρας καὶ τὸν πατέρ' αὐτῶν Προῖτον Ἀβαντιάδην καὶ γραῦν πέμπτην ἐπὶ τοῖσδε, quae quidem parodica esse apparet; apud Menandrum autem invenimus fr. 877 ἐκάθηντ' ἐπὶ δίφρον μήτηρ τε καὶ παρθένος.

Cognovimus eis quae praecedunt eius modi nomina, quae, si vim suam principalem sequebantur, a comoedia aliena non erant, quibus autem tragici et maxime quidem Euripides certum quendam significatum tralatum attribuebant. Iam accedam ad ea vocabula tractanda, quorum plurima a sermone vulgari omnino recepta non sunt, cum tragici ea ut exquisita et elata aut a prioribus mutuati sint aut ipsi sibi formaverint.

Pro fratre et sorore tragoediae propria nomina sunt κασίγνητος et κασιγνήτη, aequo autem iure vulgaria illa ἀδελφός et ἀδελφή usurpantur. In his quoque usurpandis Euripidis libertas maior est quam ceterorum. Sophocles eam differentiam fecit, ut in allocutione κασίγνητον κάρα esset frater El. 1164 An. 915, ἀδελφὸν κάρα soror An. 1, OC. 321; Euripides contra formula κασίγνητον κάρα pro fratre Or. 237 et pro sorore Or. 294, IT. 983 usus est. Ut quae supra tractavi γόνοι, κόροι, τόκοι, ita pluralem ἀδελφοί idem usurpabat genere indistincto pro eo quod nos dicimus Geschwister, Hec. 896, El. 536, 746, Her. 536, 622. Eodem autem sensu ὁμαίμονες legimus, IT. 1402 φιλεῖν δὲ κἀμὲ τοὺς ὁμαίμονας δόκει, quo de loco infra dicendum erit, cum apud Sophoclem Tr. 1147 κάλει τὸ πᾶν μοι σπέρμα σῶν ὁμαιμόνων melius fratres tantum intellegantur ὁμαίμονες. Omnia autem illa nomina, quae legimus in fabulis tragicorum, velut κάσις, σύγγονος, ὅμαιμος, ὁμαίμων, alia, sermo simplex comicorum plane ignorat. Ea autem de causa illa vocabula hoc loco neglegere licet, praesertim cum intra ipsius tragoediae fines nihil dignum memoratu offerant, praeterquam quod, ut fere fit in talibus vocibus, Sophocles eis paene abstinuit, Euripides favit illis quam maxime. Cur autem ea nomina apud comicos omnino desint, eius rei causam non inveni nisi eam, quam eandem supra valentem cognovimus, quod scilicet communia sunt et propterea sermoni usus cotidiani satis clarae non erant neque intellectu faciles. Eadem de causa omnino adiectiva ea, quae duabus tantum terminationibus praedita sunt,

a comoedia vitabantur, quae res, in quam altius inquiratur, digna certe est.[1])

Apud utriusque poeseos generis poetas matrem significat nomen *μήτηρ*, quod idem in blanda aut reverenti appellatione ad mulierem facta aetate provectam usurpatur, velut Pe. 218, ubi senes reginam alloquuntur *οὔ σε βουλόμεσθα, μῆτερ, οὔτ' ἄγαν φοβεῖν λόγοις*, Io. 1324, Ly. 549, sicut eodem modo *πατήρ* dicitur, Pe. 667, Soph. El. 1361, Eq. 726. Excepto deminutivo illo *μητρίδιον*, quod legitur Ly. 549, Aristophanes aliud vocabulum pro matre prorsus ignorat, cum *ἡ τεκοῦσα* Ly. 636, Ec. 235 elate dictum sit. Sophocles utitur nomine, quod apud unum eum legitur, *ἡ τίκτουσα* OT. 1247, El. 342; porro invenitur *τροφός*, Ai. 849 *ἄγγειλον ἄτας τὰς ἐμὰς μόρον τ' ἐμὸν γέροντι πατρὶ τῇ τε δυστήνῳ τροφῷ*, quam Campbellius curatricem Telamonis non recte intellexit; Euripidis propria sunt *μαῖα* Al. 393 et *παιδοτρόφος* HF. 902.

Totius autem tragoediae est, quod ipsa sibi formavit, *ἡ τεκοῦσα*, Ch. 133, Al. 167 aliisque locis permultis. Quod cum substantivum participiale sit[2]), articulum assumebat exceptis versibus Eu. 517 cantici, Soph. Tr. 818, OT. 1175, ubi magis verbalis est quam nominalis significatus. Euripides quoque semel eum omisit, Or. 291 *μήποτε τεκούσης εἰς σφαγὰς ὦσαι ξίφος*, qua re offensus Porsonus restituebat *μὴ τῆς*, neglecta Euripidis in sermone formando licentia. Eodem enim modo deest articulus IT. 1301 *οὐκ εἶ κρατούντων πρὸς πύλας ὅσον τάχος* et, quod gravius est, apud Menandrum legimus fr. 716 *ὁ μὴ τρέφων τεκοῦσαν ἐκ τέχνης νέος ἄκαρπος οὗτός ἐστ' ἀπὸ ῥίζης κλάδος*. Huius autem usus causa ea est, quod *ἡ τεκοῦσα* Euripidi magis magisque in veri substantivi formam transierat, quam rem eis quae sequuntur demonstraturus sum. Cum enim naturam nominis verbalem cognoscamus eo, quod casum accusativum sibi adiungit, velut *ἡ τεκοῦσά με* Al. 517, Io. 57, 1370, An. 294, aliis locis plane pro substantivo illud usurpatum esse videmus. Numerum pluralem legimus Su. 943, pendet e nomine genitivus Al. 167 *αὐτῶν ἡ τεκοῦσ' ἀπόλλυμαι*, Io. 308[3]), quin etiam in allocutione dictum invenimus *ὦ τεκοῦσα*, Hec. 426, El. 1061, al., quam appellationis formulam alio loco non legi nisi in mutilo fr. adesp. 548, quod est *σὺ δ', ὦ τεκοῦσα, μὴ τὴν σὴν λιβάσι κατάσπενδε παρηίδα*, quod hac de causa Euripidi ipsi attribuere non dubito, praesertim cum *παρηίς* quoque ei tritissimum sit et illud quidem de feminarum gena dictum semper excepto uno versu El. 1216 lyrico.[4])

---

[1]) Hanc differentiam paucis demonstravit iam Wirth De motione adiectivorum quae in *ιος αιος ειος ιμος* terminantur, stud. Lipsiens. 3 p. 35 sqq., 50 sqq. Alia cognosci possunt ex exemplis, quae Kuehnerus l. l. I 1, 535 attulit.

[2]) Cf. de illis Kuehner l. l. II 1, 266; Brugmann Gr. Grammatik [3] p. 414.

[3]) Cf. Lobeck ad Ai. 360.

[4]) O. Hense comparavit cum hoc fragmento versum Io. 242 *δακρύοις δ' ὑγραίνεις εὐγενῆ παρηίδα*.

Praeter alloquendi formulas, quae sunt *ὦ τεκοῦσα μᾶτερ* IA. 1338, Ph. 1270, *μᾶτερ τεκοῦσα* El. 1185, addito accusativo Ph. 298 *ὦ τεκοῦσα τόνδε μᾶτερ*, Or. 195 *ὦ τεκομένα με μᾶτερ*, bis legimus *ὦ μῆτερ, ὦ τεκοῦσα*, Hec. 414, Tr. 634, quo altero loco Andromacha socrum suam appellat verbis quae sunt

ὦ μῆτερ, ὦ τεκοῦσα, κάλλιστον λόγον
ἄκουσον, ὥς σοι τέρψιν ἐμβάλω φρενί.

Hunc autem versum a Matthiaeo impugnatum esse annotavit Dindorfius, quod Hecuba non ipsa mater Andromachae esset. Dindorfius hanc quidem difficultatem tolli posse credidit intellegens matrem Polyxenae (sic!)[1]), sed cum praeterea offenderet in vocibus quae sunt *τέρψις* et *κάλλιστος* ut cum verborum conexu prorsus non congruentibus, lacunam fuisse suspicatus est, in quam duos hos versus insertos esse contendit. Hanc autem sententiam probaverunt Wecklinius, alii. Quae autem erat gravissima offensa illorum virorum secundum ea quae exposui in se concidit. Recordati liberum Euripidis usum, quem per totam adhuc dissertationem ostendi; recordati, quam plane pro substantivo uti solitus sit ille eo quod est [ἡ]*τεκοῦσα*, hoc quoque loco blandam appellationis formulam accipiemus verba *ὦ τεκοῦσα* eodem modo dicta, quo *μήτηρ* usurpari solet, praesertim inter affines tam arte coniunctas. Comparari denique optime potest formula illa a matre dicta *ὦ τέκνον ὦ παῖ* Soph. Tr. 61, *ὦ παῖ ὦ τέκνον* Ch. 895, qua tamen eadem chorus utitur Ch. 264. Accedit quod Andromacha *ὦ φίλη παῖ* et *παῖ* a socru vocatur, Tr. 1016 Helena ab Hecuba *θυγάτηρ* appellatur, HF. 545 Megara socerum *πατέρα* dicit, quaeque alia sunt huius generis exempla. Versum igitur quem tractamus Euripidis ingenium tam bene prae se ferre videmus, ut nemo eum imitatione efficere potuerit. Quae denique cetera suspecta erant Dindorfio, satis valida non sunt ad versum damnandum; comparari possunt versibus Her. 662/3 verba Alcmenae de nepote querentis *ποῦ νῦν ἄπεστι; τίς νιν εἶργε συμφορὰ σὺν σοὶ φανέντα δεῦρ' ἐμὴν τέρψαι φρένα.*

Haec dicenda habui de sollemni tragicorum nomine quod est *ἡ τεκοῦσα.* Aliud autem, quo maior quaestio movetur, hoc est. Aesch. Ch. 418 legimus *τάπερ πάθομεν πρός γε τῶν τεκομένων* de sola matre dictum. Ab hoc autem loco proficiscenti liceat mihi proferre nonnullas observationes, quas de plurali pro singulari numero a tragicis posito collegi. Praeter ea quae grammatici nostri praebent[2]), inspexi duos potissimum libros, quos Volpius et Kummererus[3]) conscripserunt, quorum tamen librorum alterius priorem

[1]) Donnerus vertit „die den tapfern mir gebar".

[2]) Brugmann Gr. Gramm. [3] p. 369; Kuehner l. l. II 1, 82; Krueger Gr. sprachlehre [5] syntax p. 12; cf. quoque Leo Senecae trag. I 150.

[3]) Volp De usu numeri pluralis Aeschyleo et Sophocleo, Marpurgi 1888; Kummerer Ueber den gebrauch des plurals fuer den singular bei Sophokles und Euripides, Klagenfurt 1869, 1870.

partem comparare mihi non potui, credo haud magno detrimento. Cum autem hi viri nomina ea, quae ego tracto, omnino fere non tetigerint, quam brevissime possum gravissima tantum allaturus sum simulque demonstraturus, quantum ille usus ad comicum quoque sermonem pertinuerit.

Ea nomina patrem vel matrem significantia, quae tragoediae propria sunt[1]), non raro pluraliter usurpantur, si agitur de una persona, ita ut tragicos huic suo usui sua tantum nomina subiecisse videamus.

Praemonendum mihi est scholiastas nihil fere de hoc pluralis usu dixisse, qua de causa illa tam inania, velut ea, quae ad Eur. Ph. 943 adscripta leguntur, *ἀντὶ τοῦ ἑνικοῦ τὸ πληθυντικὸν εἶπεν*, omnino omittam. Pro patre autem legimus haec nomina:

οἱ φυτεύσαντες OC. 1377.

οἱ τεκόντες OT. 1176, quod fortasse quis ut in oraculo obscurius consulto dictum censuerit: *κτενεῖν νιν τοὺς τεκόντας ἦν λόγος*; Hel. 943, Hi. 1081[2]).

τοκεῖς Ch. 384, HF. 915; de An. 1038 infra agendum erit.

γονεῖς Soph. El. 146 (?), 241, Al. 714, El. 257.

ἄρσενες Eur. Ph. 943.

Notio matris his vocabulis exprimitur:

οἱ φυτεύσαντες OT. 1007, 1012.

οἱ τεκόντες Eur. Su. 819, quod probatur feminino articulo versus 943, ubi pluralis verus est; Io. 1409, Or. 893 exempla plane certa non sunt.

οἱ τεκόμενοι Ch. 418.

τοκεῖς Eu. 152, Hec. 403, Or. 819.

Versibus autem Ch. 676/8 *ἐπείπερ ἄλλως, ὦ ξέν', εἰς Ἄργος κίεις, πρὸς τοὺς τεκόντας πανδίκως μεμνημένος τεθνεῶτ' Ὀρέστην εἰπέ* . . . . poeta consulto non tam perspicuo vocabulo usus esse videtur, cum Orestes ea, quae in

---

[1]) Exclusa igitur sunt *πατήρ* et *μήτηρ*, nam Ch. 328 generaliter dictum est aeque ac Soph. Tr. 1268, HF. 1318, Io. 1330; Hec. 476 pluralis exstat, quod verba chori sunt, ut Tr. 1309; Io. 263, Cy. 41, An. 768 *πατέρες* sunt maiores, ita ut pluralis suo loco sit; versus denique OT. 1405/7 *ὦ γάμοι γάμοι . . . ἀνεῖτε ταὐτὸν σπέρμα κἀπεδείξατε πατέρας, ἀδελφούς, παῖδας, αἷμ' ἐμφύλιον, νύμφας, γυναῖκας, μητέρας τε* . . tam audacter eademque tam certo consilio dicta sunt, ut auctor *περὶ ὕψους* cap. 23 p. 194 eis exemplo uteretur, cum de figura quae dicitur *ἐνάλλαξις ἀριθμῶν* verba faceret; similia autem sunt Her. 950, 956, HF. 455, 1271.

[2]) *πολλῷ γε μᾶλλον σαυτὸν ἤσκησας σέβειν*
ἢ τοὺς τεκόντας ὅσια δρᾶν, δίκαιος ὤν.

Hoc loco *τοὺς τεκόντας* intellego patrem, cum Theseus iniuriam illam sibi illatam esse iudicet, non Phaedrae, cf. v. v. 1026, 1040, 1073, 1165. Accedit quod Hippolytus nullo propinquitatis vinculo cum regina coniunctus erat, cf. v. v. 905, 944, ita ut vitiaret patris uxorem, non suam matrem. Wilamowitzius contra in commentario (p. 223) intellexit matrem vel novercam, vertit parentes.

domo regis acciderant, et ipsum ignorare neque a Strophio comperisse simulet, cf. etiam versum 685. Pluralis autem significatum omnibus illis locis quos attuli eundem esse ac singularis optime demonstratur versibus Hel. 941/3, qui sunt *παισὶ γὰρ κλέος τόδε κάλλιστον ὅστις ἐκ πατρὸς χρηστοῦ γεγὼς ἐς ταὐτὸν ἦλθε τοῖς τεκοῦσι τοὺς τρόπους*, ubi alter numerus altero recipitur aequo plane sensu.

Pronomina quoque ad parentes pertinentia pluraliter usurpantur, velut de patre dictum legimus OC. 547 *καὶ γὰρ ἄν, οὓς ἐφόνευσ', ἐμ' ἀπώλεσαν*, 976, Io. 560, 1561, Hi. 1062, de matre OT. 414, 1184 aliisque locis.

Et in his et in illis quae supra attuli exemplis non fugerit legentem pro genere feminino pluralem masculinum semper positum esse. Pluralis autem feminini generis locum pluralis masculinus obtinere numquam potest, quod non recte docuit Kuehner[1]), qui versum Eur. An. 712, ubi de Hermiona dictum est, *ἣ στερρὸς οὖσα μόσχος οὐκ ἀνέξεται τίκτοντας ἄλλους* sic intellexit, ut diceret „wenn der begriff der persoenlichkeit ueberhaupt ausgedrueckt werden soll, so kann in beziehung auf einen weiblichen personennamen die masculinform als allgemeinerer ausdruck gebraucht werden.“ Quam ego habeo huius versus explicationem infra dabo. Ne altero quidem exemplo, quo hanc sententiam suam fulcit ille vir doctus, Xen. Comm. 2, 7, 2, quicquam probatur, cum eo loco de viro et mulieribus coniuncte dictum sit. Masculinum pluralem pro singulari feminino legi non raro supra vidimus; femininus autem pluralis pro eo nusquam exstat, ne adiectivorum quidem, verbi formarum, aliorum, quae semper genere masculino exprimuntur, velut Aesch. Su. 210 dicit ea, quae chorum ducit, *πάτερ, φρονούντως πρὸς φρονοῦντας ἐννέπεις*, Ag. 1660, Soph. El. 399, 499, Me. 696, Al. 383, Hi. 613, An. 712, 894, aliisque locis non paucis. Recte igitur masculinam formam restituebant nonnulli versu Me. 385 *κράτιστα τὴν εὐθεῖαν, ᾗ πεφύκαμεν σοφαὶ μάλιστα, φαρμάκοις αὐτοὺς ἑλεῖν* scribendo *σοφοί*, ubi melius una Medea intellegitur quam mulieres universae, cum quod agitur toto eo loco de una Medea, tum quod eius imprimis est, non omnium mulierum, *φαρμάκοις αὐτοὺς ἑλεῖν*, cf. versum 303[2]); eadem de causa masculinam formam probo Eur. Tr. 1280, Ph. 1716.

Jam autem quaeritur, quo modo intellegendus sit hic pluralis masculinus pro feminino singulari positus. Quem cum ceteri, quantum video, silentio praeterierint, Kuehnerus[3]) ita eum interpretatus est, ut ipsis suis verbis diceret „in dem abstrakten begriff der vielheit verliert sich der unterschied des geschlechtes, und so tritt an die stelle der femininform die

---

[1]) l. l. II, 1, 82.

[2]) Formam femininam defenderunt cum alii tum Wilamowitz Excurse zu Euripides Medea, Hermes, 15, 518.

[3]) l. l. II 1, 83.

masculinform, als die allgemeinere bezeichnung der persoenlichkeit ueberhaupt.“ Haec autem explicatio sufficere non potest, quippe qua non appareat, cur tandem abstracta illa notio pluralis exstet. Conferantur e. g. versus Eur. An. 355/60 ἡμεῖς γάρ εἰ σὴν παῖδα φαρμακεύομεν καὶ νηδὺν ἐξαμβλοῦμεν, ὡς αὐτὴ λέγει, ἑκόντες οὐκ ἄκοντες οὐδὲ βώμιοι πίτνοντες αὐτοὶ τὴν δίκην ὑφέξομεν ἐν σοῖσι γαμβροῖς, οἷσιν οὐκ ἐλάσσονα βλάβην ὀφείλω προστιθεῖσ’ ἀβουλίαν, ubi illa numeri variatio fieri non posset, si pluralis explicandus esset ita, ut Kuehnerus proposuit. Equidem putaverim hunc pluralem pro singulari positum, qui ad quodvis nomen femininum pertinet quique tragoediae proprius est, sese applicare ad illum, qui exemplis supra allatis, quae parentes significant, praebetur. Eum autem maiestatis quem dicunt pluralem accipere non dubito eo imprimis ductus, quod talem pluralem in eis tantum nominibus usurpatum inveni, quibus pater vel mater vel omnino persona ordinis superioris, nusquam autem eiusdem, velut frater, soror significatur, nisi forte quis versu Soph. An. 511 οὐδὲν γὰρ αἰσχρὸν τοὺς μοσπλάγχνους σέβειν fratrem Polynicem accipit ὁμοσπλάγχνους, qui tamen versus melius ad sententiam communem refertur. Alter autem versus, qui obstare videtur, est v. IT. 1402, ubi legitur φιλεῖν δὲ κἀμὲ τοὺς ὁμαίμονας δόκει, ubi tamen, quamquam praecedit versus φιλεῖς δὲ καὶ σὺ σὸν κασίγνητον, θεά, Geschwister magis quam fratrem intellego collatis versibus 1058/9 καὶ στερηθῆναι πάτρας φίλου τ’ ἀδελφοῦ φιλτάτης τε συγγόνου.

Eundem enim pluralem, quem modo maiestatis dixi, legimus eorum quoque vocabulorum, quibus notio domini exprimitur. Sunt autem haec exempla, singula e singulis sumpta brevitatis causa.

ἄνακτες	Su. 523	OC. 295	HF. 810
κοίρανοι	Ag. 554		Me. 875
δεσπόται	Ch. 52		Cy. 163
τύραννοι	Ch. 358	OT. 1095	Hel. 511
κύριοι	Ch. 654		Hel. 1633
οἱ κρατοῦντες	Ch. 712		
οἱ ἄρχοντες			Io. 1070
οἱ κρατύνοντες		An. 664	
οἱ ἐν τέλει		An. 67	
οἱ ταγοί		An. 1057	
πρόμοι		OC. 884	
βασιλεῖς		An. 1172	IT. 109
οἱ βόσκοντες			Io. 183
ἀρχιτέκτονες			Cy. 477

Huius quoque generis nominum pro singulari feminino pluralis masculinus nonnumquam usurpatur. Quod autem exempla apud unum Euripidem leguntur, in eo maxime positum est, quod is omnium saepissime talem pluralem adhibere solebat.

Haec autem sunt quae inveni:
δεσπόται [1]) Me. 823, Io. 751, 1043, Hi. 287, An. 127.
τύραννοι Me. 140, Io. 236, Tr. 474.
θυηπόλοι IT. 1359, coniectura effectum.
βασιλεῖς Tr. 100 [2]).

Hic pluralis maiestatis quem cognovimus deinde pertinet ad quemvis liberum hominem significandum, et virum et mulierem. Ad ea quae supra attuli exempla haec temere collecta addo: Se. 582 *τούτῳ σοφούς τε κἀγαθοὺς ἀντηρέτας πέμπειν ἐπαινῶ*; Soph. El. 1232 *ἰὼ γοναί, γοναὶ σωμάτων ἐμοὶ φιλτάτων*, quae verba Volpius l. l. de duobus, Kaibelius recte de uno Oreste dicta accepit; Eur. An. 403 *φονεῦσιν Ἕκτορος νυμφεύομαι*; Tr. 660 *δουλεύσω δ' ἐν αὐθεντῶν δόμοις*; alia sunt *οἱ θανόντες* de Lycone dictum HF. 940, *οἱ νεκροί* HF. 966, *οἱ κηδεύσαντες* Me. 367 de Creonte dictum, alia.

Si autem intelleguntur homines, qui non sui iuris sed sub alterius potestate sunt, pluralis ille e natura sua evitabatur, velut Creo filio dicit An. 726/7 *οἱ τηλικοίδε καὶ διδαξόμεσθα δὴ φρονεῖν ὑπ' ἀνδρὸς τηλικοῦδε τὴν φύσιν*, ibidem 276 custodis, qui corpus Polynicis sepultum esse nuntiat, verba sunt *πάρειμι δ' ἄκων οὐχ ἑκοῦσι*; similiter dicta legimus Hel. 1630 *ἀλλὰ δεσποτῶν κρατήσεις δοῦλος ὤν*. V. v. autem Ch. 708/9 *ἄγ' αὐτὸν εἰς ἀνδρῶνας εὐξένους δόμων ὀπισθόπους τε* [3]) *τούσδε καὶ ξυνεμπόρους* facere non possumus, quin *ὀπισθόπους* duos servos Orestis intellegamus, etsi Wilamowitzius verbis satis acribus hanc sententiam impugnavit, qui scilicet antea commemorati non sunt eodem plane modo, quo apud Soph. El. 1123, Arist. Av. 656 subito audimus servos in scaena esse. Cum servi in latere astiterint, *τούσδε* dicere debuit regina digito scilicet monstrans; *ξυνεμπόρους* autem accipiemus Pyladem, plurali posito pro singulari. Nullo enim modo *ξυνέμπορος* idem dici potest, qui *ὀπισθόπους* dicitur; hic enim est servus,

---

[1]) *Δέσποιναι* de una dici non posse supra exposui.

[2]) Me. 593/4 *σὺ νῦν τόδ' ἴσθι, μὴ γυναικὸς εἵνεκα*
γῆμαί με λέκτρα βασιλέως, ἃ νῦν ἔχω.

Pluralis *βασιλέων* obtinuit inde ab Elmsleyi temporibus, qui offendit in *λέκτρα βασιλέως*, quibus verbis matrimonium aut uxorem, non filiam regis significari contendit. Cum ipse dixisset se *βασιλείας* vel *βασιλίδος* potius scripturum fuisse, si per metrum licuisset, nisus illo Troadum loco dedit pluralem, ita ut esset *βασιλέων* pro *βασιλίδος*. Miro consensu omnes eum secuti sunt, Arnimio uno ita recedente, ut pluralem eum interpretaretur familiam regiam. Sed omnes viros doctos fugisse videtur nulla re nos impediri, quominus ipsum singularem *βασιλέως* genere feminino reginam i. e. regis filiam accipiamus aeque ac legitur Eu. 661/2 *οὐκ ἔστι μήτηρ ἡ κεκλημένου τέκνου τοκεύς* et apud Euripidem Phaedra Hi. 682 ancillam vocat *ὦ παγκακίστη καὶ φίλων διαφθορεῦ*. Eodem plane sensu legimus Me. 877 *γήμας τύραννον*. De masculina terminatione usurpata pro feminina ab Euripide nonnulla dixit Wilamowitzius ad Hi. 1103; cf. ea quoque, quae supra tractavi *γόνος*, alia.

[3]) Traditum est *δέ*.

ille socius. Ne in accusativo quidem *ὀπισθόπους* offendemus, si comparaverimus declinationem nominis *Οἰδίπους*, aliorum [1]). Quod autem secundum obiectum (*ὀπισθόπους*) adnectitur particula *τε*, tertium particula *καί*, respondet ad usum apud Aeschylum non rarum, cf. Ag. 339, 414 [2]).

Pro servis igitur hunc pluralem in usu non fuisse vidimus. Nonnumquam tamen invenimus in oratione servum ipsum de se pluraliter loqui, etsi rarus is usus est, velut Soph. El. 772, Me. 78, Hel. 1640 *οὐ κτενεῖς ἡμῶν ἑκόντων, ἀλλ' ἐμ'*, ubi, quamquam mulieres sunt, chorus de se plurali masculino utitur aut quod *ὁ χορός* loquitur aut melius, quod una tantum haec verba facit, ut apud Aesch. Su. 210 *πάτερ, φρονούντως πρὸς φρονοῦντας ἐννέπεις* legimus.

Huic plurali maiestatis, quem statuimus, id quoque non male congruit, quod ea nomina, quibus signa dominationis significari solent, dico *θρόνος*, *σκῆπτρον*, *κράτος*, plerumque pluraliter leguntur apud tragicos poetas.

Nomina quae propinquitatis gradus significant, a quibus tractandis tota originem duxit haec commentatio, numero mutato ab Aeschylo non usurpabantur nisi ea, quae pro parentibus dicuntur. Eodem modo res se habet apud Sophoclem, qui, si OT. 1250 *ἐξ ἀνδρὸς ἄνδρα καὶ τέκν' ἐκ τέκνων τέκοι* pluralem pro *τέκνον* usurpavit, hoc aut fecit, ut enuntiati membra pleniora redderet et inter se aequaret, conferas versus 1406/7 supra allatos, aut Euripidis in hoc usu libertatem secutus est. Hic enim *τέκνα* pluralem, cum passive quasi *τετεγμένα* intellegeret (cf. supra) et hoc quasi neutri generis adiectivum, ut alia [3]), pluraliter usurparet, non raro scripsit pro *τέκνον*, Hec. 340, 750, El. 45, Her. 492, IA. 396, 403, 1254, Tr. 392, An. 1235, Ph. 967, IA. 1015 *ἱκέτευ' ἐκεῖνον πρῶτα μὴ κτείνειν τέκνα*. Eodem quoque modo explicandus est versus Hi. 11 *Ἱππόλυτος, ἁγνοῦ Πιτθέως παιδεύματα* [4]), neque aliter se habet *λοχεύματα* Io. 921, fr. 360 v. 50. Hunc adiectivi usum sequitur etiam quod legimus An. 1273 *ὦ πότνι', ὦ γενναῖα συγκοιμήματα*, de Thetide dictum. *Μνηστεύματα* autem, quod exstat Ph. 580 *ὦ κακὰ μνηστεύματα, Ἄδραστε, προσθείς*, abstractum intellegendum esse, non concretum, quod lexicographi nostri fecerunt, infra demonstrabo.

Analogia pluralis *τέκνα* factum esse iudicamus, ut *παῖδες* etiam ab Euripide pro singulari usurparetur, ultimis tamen temporibus, v. v. IA. 399 [690], 1185, qui a Wecklinio correctus est, cum versus Tr. 1016 *ὦ θύγατερ, ἔξελθ'· οἱ δ' ἐμοὶ παῖδες γάμους ἄλλους γαμοῦσι* et An. 659 *τίκτειν* (Andromacham scilicet) *δ' ἐν οἴκοις παῖδας ἐχθίστους ἐᾷς* aliam interpretationem admittant. Hic usus pluralis *παῖδες* ab eo distinguendus est, qui posteriorum

---

1) Cf. Kuehner l. l. I 1, 515.

2) Cf. Kuehner l. l. II 2, 242.

3) Cf. Kummerer l. l.

4) Plutarchus Thes. 3 sine dubio memoriter scripsit ὁ δ' Εὐριπίδης τὸν Ἱππόλυτον ἁγνοῦ Πιτθέως παίδευμα προσειπών.

scriptorum esse dicitur, ut Passovius et Georgesius s. v. liberi docent, cum Stephanus taceat, *παῖδες* scilicet de uno dici, cuius tamen usus exempla non inveni. Responderit autem hoc *παῖδες* ad sollemne illud *παιδικά* de uno dictum, quod ipsum comparari potest propter genus neutrum in sermone cotidiano alibi non usitatum cum nominibus *τέκνον* et *παῖς* de virgine dictis, quo de usu supra verba feci [1]).

Sed ut ad tragicos revertamur, Sophocles pluralem *παῖδες* pro singulari usurpasse non videtur. El. 544/5 enim, ubi legimus *ἢ τῷ παν-ώλει πατρὶ τῶν μὲν ἐξ ἐμοῦ παίδων πόθος παρεῖτο, Μενέλεῳ δ' ἐνῆν*; quominus verum pluralem intellegamus nihil obstat; OC. 970 autem *χρησμοῖσιν ἱκνεῖθ' ὥστε πρὸς παίδων θανεῖν* ut oraculi verba consulto non tam dilucide dicta sunt, quam eandem obscuritatem invenimus OT. 107, 308, 1176.

Singularem autem plane, qui, nisi analogia factum esse intellegis, explicari non potest, scripsit Euripides pluralem *γαμβροί* An. 359 *δίκην ὑφέξομεν ἐν σοῖσι γαμβροῖς* et ibidem 738/9 *παρὼν δὲ πρὸς παρόντας ἐμφανῶς γαμβροὺς διδάξω καὶ διδάξομαι λόγους*. Hunc autem usum secutus esse videtur Sophocles, cum fr. 284 Ulixem Clytaemestrae dicentem faceret *σὺ δ' ὦ μεγίστων τυγχάνουσα πενθερῶν*, Achillis scilicet.

Adhuc descripto usu tragicorum iam restat, ut de Aristophane dicam ea, quae huc pertinent. Ut omnes formas indistinctas neque satis finitas, ita hunc quoque pluralem a natura sermonis comici alienum esse per se apparet. Ne unum quidem exstat exemplum nominum, quae quidem tractamus. Id quoque deest fere omnino, quod aliquis ipse de se pluraliter loquitur. Quae enim leguntur Eq. 1244, Nu. 1103, Th. 878, Ra. 213, Ec. 915, aut ex alienis versibus sumpta aut eorum similitudine effecta sunt. Versus autem Ec. 864 explicari potest versu 862; Pl. 344 *ὦ Βλεψίδημ', ἄμεινον ἢ χθὲς πράττομεν* intellegere debemus Chremylum non tam de se quam de tota familia sua loqui; versibus Pl. 960 *ἐπὶ τὴν οἰκίαν ἀφίγμεθ' ὄντως τοῦ νέου τούτου θεοῦ* et 999 *ἄμητα προσαπέπεμψεν ἡμῖν τουτονί* demonstratur anum illam servam vel servas secum adduxisse. Hi tamen tres loci ita etiam accipi possunt, ut in Pluti fabula prima vestigia cognosci dicamus sermonis Euripidei, quem in Nova praevalentem videmus. In eadem enim Pl. fabula *οἱ φίλοι* de uno homine dictum, quod in tragoedia plane sollemne est, cf. Or. 97, Soph. El. 346, An. 10, in comoedia unum egimus, 398 *εἶτ' οὐ διαπέμπεις καὶ πρὸς ἡμᾶς τοὺς φίλους*. Tragicum autem illud *τὰ φίλτατα*, de homine dictum Eu. 100, OT. 1474, OC. 1110, Eur. Ph. 434, al., comoediae omnino deest, ut neutralia nomina omnia.

Pluralem pro singulari in comoedia inveniri negavi. Unus autem exstat locus, qui huic regulae repugnare potest. Nempe Ec. 30 dicit

[1]) Conferantur neutri generis amicarum nomina, quae leguntur apud comicos posteriores.

chorus in scaenam procedens *ὥρα βαδίζειν, ὡς ὁ κῆρυξ ἀρτίως ἡμῶν προσιόντων δεύτερον κεκόκκυγεν*. Insignis est pluralis ille masculinus, cum mulierum chorus in comoedia aut masculino singulari aut feminino plurali ipse de se uti soleat neque chorum iam tum virorum partes sumpsisse statuere liceat, ut apparet ex eis quae sequuntur. Scholiasta hoc loco tragicum illum pluralem pro singulari positum agnovisse videtur, cum explicaverit *μία τῶν γυναικῶν ταῦτά φησιν* Ille autem usus tragicus, quo uno pluralis *προσιόντων* explicari posset, plane singularis esset in comoedia, qua de causa, quin Bentleyi correctura *προσιουσῶν* recipienda sit, prorsus non dubito.

Comoediam igitur videmus hunc usum pluralem, quem adhuc tractavi, omnino repudiasse causa illa satis cognita et exposita.

Adhuc egi de plurali eorum nominum, quae potissimum tractanda mihi elegi. Ut autem totius illius usus imaginem adumbratam saltem ante oculos ponam et propterea, quod infra alia nomina tractanti rursus de plurali dicendum mihi erit, hoc loco, in quibus ceteris maxime appareat pluralis, proferre mihi liceat. Usum enim illum nominibus quae tractavi contentum non fuisse vix est quod dicam [1]).

Ac primum quidem locum obtineant ea nomina, quae abstracto verbali significatu praedita sunt, primae et secundae, numquam tertiae declinationis, qui usus abstractorum inde ab Homeri aetate frequens est [2]). Huius generis legimus apud Aeschylum, ut pauca tantum afferam exempla, Ag. 412 *ᾔσχυνε ξενίαν τράπεζαν κλοπαῖσι γυναικός*, Ag. 454 *τὸν δ' ἐν φοναῖς καλῶς πεσόντα*; apud Sophoclem *σφαγαί* El. 568, *διαφθοραί* OT. 573; apud Euripidem *ἐσδοχαί* El. 396, *φυλακαί* Hec. 82; alterius declinationis Aeschylea sunt Ag. 123 *βλαβέντα λοισθίων δρόμων*, Ag. 824 *φίλον τὸν εὐτυχοῦντ' ἄνευ φθόνων σέβειν*; Sophoclea *πορθμοί* Tr. 571, *πόθοι* OC. 333; Euripidea *οἶκτοι* El. 1330, *δρασμοί* HF. 1010 aliaque permulta.

Horum autem omnium quod non minus singularis quam pluralis usurpabatur, ea re clare atque evidenter ostenditur alterum numerum pro altero exstare significatu non diverso. Brugmannus [3]) quidem et similiter Kuehnerus [4]) hunc pluralem ita intellegendum esse dicunt, ut significet gradus vel species complures actionis alicuius. Et profecto exstant exempla, quibus ea explicatio nitatur, velut Eu. 276/7 *ἐγὼ διδαχθεὶς ἐν κακοῖς ἐπίσταμαι πολλοὺς καθαρμούς*, Eur. Su. 550 *παλαίσμαθ' ἡμῶν ὁ βίος*, alia [5]), sed talia non sunt frequentia neque omnino hoc loco tractanda, quippe quae pluralia pro singularibus usurpata

---

[1]) Cf. Kuehner l. l II 1, 15; Brugmann l. l. p. 369.
[2]) Cf. Juhl De numeri pluralis usu Homerico, Halis 1879.
[3]) l. l. p 370.
[4]) l. l. II. 1, 16.
[5]) Similia tractavit Kummererus l. l.

non sint, sed, dummodo recte intellegantur, verum pluralem habeant. Illorum autem, quae nos tractamus, usus explicari melius non potest, quam ab Aristotele factum est, *εἰς ὄγκον* scilicet *τῆς λέξεως* pluralem a poetis adhibitum esse [1]).

Ut abstracta, ita concreta quoque nomina pluralem singularis vice assumunt, ne ea quidem ulla certa lege coacta. Ac primum significat pluralis locum omnino, velut *τόποι* Pe. 450, *χῶροι* OC. 2; deinde eum maxime locum, quo actio, quae verbo denotatur, efficitur, *τάφοι* Soph. El. 443, *σφαγαί* Tr. 573, Me. 46 *ἀλλ' οἵδε παῖδες ἐκ τρόχων πεπαυμένοι στείχουσιν*, *θᾶκοι* Io. 909, *φυλακαί* Pe. 595, *σκοπαί* Ag. 301. Sequantur collectiva, velut *χρησμοί* Ch. 296, *μισθοί* Soph. An. 294, *ὅρκοι* Hi. 611, *ψάμαθοι* Hi. 1126, *σάρκες* Me. 1200. Primo obtutu audacius dicta esse videntur, quae iam proferam, nomina scilicet, quibus vasa et instrumenta significantur, *δίφροι* Soph. El. 50, *ὄχοι* OT. 808, *κέδροι* Al. 365, *θηγάναι* Ag. 1538, *ἀρτάναι* Soph. An. 54, *ἅρπαι* Io. 192, *βωμοί* Soph. Tr. 238, *νῆες* Eur. Tr. 812, *κερκίδες* Hec. 363, *κλίμακες* Ph. 104. Eodem modo usurpata neutri generis nomina leguntur, velut *σκῆπτρα* OC. 425, *τόξα* Al. 39, *βάκτρα* Io. 217, *ζυγά* Tr. 600, *ξίφη* Soph. An. 820 [2]). His autem accedunt ea, quibus corporis partes vel membra significantur, quae quasi instrumentorum loco sunt, *λαιμοί* Io. 1065, *σφόνδυλοι* Ph. 1413, *γενειάδες* Io. 1460, *λάιοι βραχίονες* Ph. 1136, *πρόσωπα* Soph. El. 1277, *νῶτα* Pr. 446, *στέρνα* Io. 874, *ὦμοι ἀριστεροί* Or. 1471. De plurali denique nominum in *μα* exeuntium infra verba facienda erunt.

Omnium autem quae attuli exemplorum ea tantum explicatione egent, quae proxime praecedunt, ea scilicet, quibus instrumenta aut corporis partes significantur. Causarum huius usus neque ea, quam Brugmannus [3]) protulit, cui positus esse videtur pluralis, „um das complicierte der erscheinungsform einer sache auszudruecken“, neque illa a Kuehnero [4]) allata, qui sententiae amplificandae causa usurpatum eum esse dicit, sufficit. Rectum autem vidisse puto Volpium l. l. et Delbrueckium [5]), qui docent eum initio verum tantum pluralem fuisse nominum, quae ipsa pluralia erant, velut *ὄχοι, τόξα, νῶτα, κόλποι, στέρνα*, deinde ab his ad alia similis significatus nomina translatum eum esse, in sermone scilicet elato et artificioso, ut equidem addo.

---

[1]) Arist. rhet. 3, 6: εἰς ὄγκον δὲ τῆς λέξεως συμβάλλεται τάδε . . . τὸ ἓν πολλὰ εἰπεῖν, ὅπερ οἱ ποιηταὶ ποιοῦσιν· ἑνὸς ὄντος λιμένος ὅμως λέγουσι „λιμένας εἰς Ἀχαικούς“ καὶ „δέλτου μὲν αἵδε πολύθυροι διαπτυχαί“. Cf. etiam verba auctoris περὶ ὕψους cp. 23 p. 194.

[2]) Plura collegit Lobeckius ad Ai. 231.

[3]) l. l. p. 370.

[4]) l. l. II 1, 18.

[5]) Grundriss der vergleich. grammatik der indogerm. sprachen. III 146.

Apud comicos enim raro hic pluralis pro singulari legitur et ita quidem usurpatus, ut vis numeri pluralis a singulari recedat et novum quasi nomen exsistat. Sic τρόποι sunt mores Eq. 46, Pl. 36 multisque locis; γάμοι sunt dies festi nuptiarum Pa. 1192 al.; pluralem μανίαι scholiasta ad Nu. 832 Atticorum proprium esse annotat; plurali illo φυγαί, qui legitur Ec. 243 ἐν ταῖς φυγαῖς μετὰ τἀνδρὸς ᾤκησ' ἐν πυκνί, Attici proscriptiones illas significasse videntur, quae a triginta tyrannis institutae erant; eadem enim vox legitur eodem sensu apud Isocratem 184 a. Concretorum autem nominum plurales hos legimus. Ὀνίδες Pa. 4 et σφυράδες Pa. 790 collectiva sunt; μέσαι νύκτες Ve. 218 Graecorum commune est; plurali κροκωτοί utitur Th. 941 Mnesilochus quem dicimus, cuius sermo prae se fert semper tragicum colorem, cf. Eur. El. 162, Hec. 924, cum Aristophanes ipse usurpare soleat singularem, velut Th. 253, Ra. 46; αὐλοί autem Ec. 891 duplex tibia est, ut φυσαλλίδες Ly. 1245. Praeter haec quae protuli exempla nonnumquam inveni pluralem singularis vice positum in canticis aut elate et paratragoedice dictum: θρόνοι Av. 1732, τόποι Th. 664, ἀρχαί Ve. 886, ἕδραι Av. 216, Th. 889, Ra. 324, φοναί Av. 1070, μυκτῆρες Pa. 158, ψάλια Pa. 155, ἄροτρα Pl. 515, σκῆπτρα Av. 510, 636, ξυνουσίαι Th. 21, ναυαγίαι Th. 873, γοναί Ec. 3, νείκη Ra. 818.

Respectis omnibus his exemplis pluralem singularis loco adhibitum non esse videmus nisi admodum paucorum nominum, quae certo quodam, qui a singulari discrepat, significatu praedita sunt, ita ut quasi in formam pluralium tantum quae dicuntur abierint.

Iam autem ad finem perducto hoc excursu de numero plurali singularis vice posito, quem neque omnino omittere neque magis contrahere potui, ad ordinem propositum commentationis redeo.

Commune nomen pro patre est πατήρ; cetera omnia a tragoedia sola usurpabantur. Eodem modo, quo ἡ τεκοῦσα, a tragicis ὁ τεκών quoque copiae verborum additum est, quod legimus e. g. Ch. 686, OC. 1108, al. Euripides deinde nota sua usus licentia huic nomini participiali genitivum adiunxit El. 335 ὅ τ' ἐκείνου τεκών[1]), addito ὦ ad alloquendum idem usurpavit HF. 975 ὦ τεκών, τί δρᾷς; τέκνα κτείνεις; quo in loco quod offendit Wilamowitzium infra confecturum me esse spero. Analogia eius quod est ὁ τεκών ductus Euripides sibi finxit ὁ φύσας, quod Sophocles, qui in prima fabula quam quidem habemus omnino ignorabat, postea recepit, Aristophanes Ve. 1472 in cantico scripsit. Tertium legimus apud unum Sophoclem ὁ φυτεύσας Tr. 1244, Ph. 904. Cetera autem

---

[1]) Secundum ea, quae Wecklinius annotavit, ἐκεῖνον traditum est; ceteri omnes ἐκείνου exhibent. Non bene cum hoc loco comparaverunt Weilius, alii v. Pe. 248 δεινά τοι λέγεις ἰόντων τοῖς τεκοῦσι φροντίσαι. Aeschyli non est nomini participiali adiungere genitivum; ἰόντων referendum est ad φροντίσαι.

nomina, quae pro patre in usu erant, supra commemoravi, cum de plurali tragico verba facerem.

Ut ἀδελφοί, γόνοι, alia nomina utriusque generis coniuncti usurpantur, ita sunt parentes οἱ τεκόντες OT. 999, OC. 508, Ch. 677; apud Sophoclem fr. fr. 524 et 850 οἱ φύσαντες, quod idem apud Euripidem fr. 852 et Ph. 34

ἔστειχε τοὺς φύσαντας ἐκμαθεῖν θέλων

traditum est et retinendum, etsi pro hoc altero Strabo 16, 762 τοὺς τεκόντας servavit, quod Valkenaerius praetulit, cum Euripidem φύειν de matre non dixisse contenderet. Recte quidem hoc dixit ille vir doctus, et huius usus circumscripti exempla luculentissima exstant, velut Al. 290 καίτοι σ' ὁ φύσας χὴ τεκοῦσα προὔδοσαν, Or. 552 πατὴρ μὲν ἐφύτευσέν με, σὴ δ' ἔτικτε παῖς, Io. 313, Ai. 516, Tr. 311, neque Porsonus eum refellit allatis ad l. Eur. fr. 403 τίς ἆρα μήτηρ ἢ πατὴρ κακὸν μέγα βροτοῖς ἔφυσε τὸν δυσώνυμον φθόνον et versu Me. 1240 sq. ἐπεὶ δὲ χρή, ἡμεῖς κτενοῦμεν, οἵπερ ἐξεφύσαμεν, cum priore loco verborum collocatione, altero plurali illo satis probetur regulam illam laesam non esse. Sermonem autem Euripideum parum intellegeremus, si ab eo nomen οἱ φύσαντες abiudicaremus, neglectis eis exemplis, quae attuli, velut γόνοι, al., praesertim cum fr. 853 legamus θεούς τε τιμᾶν τούς τε φύσαντας γονῆς.

Aliud pro parentibus nomen, quod idem apud Homerum legitur (α 170, Ω 387, al.), est τοκεῖς. Hic pluralis ubi pro singulari positus sit supra demonstravi; ipsum singularem legimus bis in tragoediae sermone elato. Eu. 662 dicit Apollo οὐκ ἔστι μήτηρ ἡ κεκλημένου τέκνου τοκεύς; alter locus, quo ad patrem relatum est hoc nomen, invenitur Eur. An. 1037 sqq., ubi verba chori, qui res adversas Troianarum captarum in Graecia degentium miseratur, haec sunt partim tradita partim correcta:

πολλαὶ δ' ἀν' Ἑλλάνων ἀγόρους στοναχάς
μέλποντο δυστάνων τοκέων ἄλοχοι.
ἐκ δ' ἔλειπον οἴκους
πρὸς ἄλλον εὐνάτορα.

Quo autem modo hoc loco τοκέων intellegendum sit, paucis demonstrare in animo habeo. Omnes enim, quantum scio, offenderunt in verbis coniunctis quae sunt στοναχὰς μέλποντο δυστάνων τοκέων ἄλοχοι et ea mutaverunt secuti lectionem variam, quam praebere videtur scholiasta. Eius enim adnotatio haec est: δυστάνων τοκέων· τοκέων, ἀνδρῶν, νυμφίων, τῶν ἤδη πατέρων γενομένων παρὰ ταῖς ἰδίαις γυναιξίν. ἐὰν δὲ ᾖ ἡ γραφὴ τεκέων, λείπει (quae postrema duo verba coniecturae debentur) τὸ ἕνεκεν· ἄλοχοι δὲ ἀντὶ τοῦ γυναῖκες ἁπλῶς. Novit igitur commentator lectionem variam τεκέων; quam autem profert interpretationem precariam, ea satis superque demonstratur illam alteri, quae tradita erat, praepositam non esse. Recte enim intellexit vir ille notionem uxoris, quae est in nomine ἄλοχος, coniungi nequaquam

posse hoc loco cum illa liberorum, qua de causa confugit ad explicationem, quae Graecae linguae non minus quam cuivis alii repugnat. Ut *ἄλοχος* sit femina, mulier simpliciter, fieri magis non potest, quam ut e. g. *πατήρ* sit vir, qua de re supra satis dixi, neque cuiquam eorum, qui *τεκέων* receperunt, contigit, ut talis usus exemplum vel unum afferret. Versus enim fabulae OT., ubi inde a v. 179 legimus *ὧν πόλις ἀνάριθμος ὄλλυται· | νηλέα δὲ γένεθλα πρὸς πέδῳ θαναταφόρα κεῖται ἀνοίκτως· | ἐν δ᾽ ἄλοχοι πολιαί τ᾽ ἐπὶ μάτερες | ἀχὰν . . . ἐπιστενάχουσιν*, a Musgravio allatus recte non est, cum *ἄλοχοι* non omnino mulieres sint, sed uxores eorum *γενέθλων*, quorum matres eodem versu commemorantur. Ne Homeri quidem versu Od. 9, 41 *ὤλεσα δ᾽ αὐτούς· ἐκ πόλιος δ᾽ ἀλόχους καὶ κτήματα πολλὰ λαβόντες δασσάμεθ᾽* quicquam probatur, quo *ἄλοχοι* nominentur, cum gravissimae sint omnium eorum incolarum, qui pugnae non interfuerunt, quod arma ferre non poterant. Si igitur tenemus *ἀλόχους* esse uxores, ea difficultas restat, quam supra demonstravi. De liberis lamentantur matres, uxores de maritis, cf. Tr. 831. Accedit quod loco quem tractamus *τέκεα* parvi tantum liberi intellegi possunt, non adulti, qui ipsa pugna interfecti sunt; horum enim matres servae, non uxores fiunt victorum, velut Hecuba in Troadum fabula. Sequitur, ut, si *ἄλοχοι* sanum est, *τεκέων* ferri non possit. Contra autem *τοκέων*, quod omnibus codicibus traditum est, sensum praebet optimum, si animo tenemus chori sine dubio obversari ante oculos imaginem ipsius Andromachae, quae deplorat patrem necatum filii et ipsius necati, cf. versus 8 sqq. Dolor de marito amisso acerbior est, si idem maritus pater communis filii est. Huius autem modi usus nominis patris, usurpati ab uxore de marito, qui originem duxit sine dubio e sermone liberorum, haud ita raro invenitur, velut legimus Tr. 481 Hecubae verba quae sunt *καὶ τὸν φυτουργὸν Πρίαμον οὐκ ἄλλων παρὰ κλύουσ᾽ ἔκλαυσα*; Hec. 161 eadem Hecuba dicit *φροῦδος πρέσβυς, φροῦδοι παῖδες*, cum tamen *πρέσβυς* non sit maritus, sed pater; HF. 975 exclamat Megara *ὦ τεκών, τί δρᾷς; τέκνα κτείνεις*[1]). Loco autem quem tractamus mulieres patrem liberorum, non suum lamentari apparet e nomine *ἄλοχοι*. Alii loci nonnulli, quibus similis usus invenitur quique possunt comparari, sunt An. 899, El. 1188, Or. 199, Ph. 1693.

Ultimum quod profero nomen pro parentibus usurpatum, quod Homerus et Aeschylus ignorant, Pindarus P. 6, 27, N. 11, 22 exhibet, est *γονεῖς*. Singularis non exstat apud tragicos; pluralem pro singulari nonnumquam positum esse supra ostendi. Hoc quoque nomen tractanti de

---

[1]) Wilamowitzius, qui Herculem a Megara *ὦ τεκών* appellari non potuisse iudicat, enuntiatum illud, quo erat uxor animo praecipiti et concitato, interruptum esse contendit verbis *τί δρᾷς* coniungendaque esse *ὦ τεκὼν τέκνα κτείνεις*. Talia quidem exstant, velut [Rh 982], Me. 1326, IA. 736, sed eadem illa animi commotione argumento usis dicere licet nobis Megaram tam gravem coniunctionem verborum incipere omnino non potuisse. Sollemnis illa distinctio, quam supra dedi, retinenda est.

uno loco uberius verba facere mihi liceat, qui satis magnam difficultatem interpretibus attulit, dico OT. 1492/5, ubi verba regis haec leguntur:

ἀλλ' ἡνίκ' ἂν δὴ πρὸς γάμων ἥκητ' ἀκμάς,
τίς οὗτος ἔσται, τίς παραρρίψει, τέκνα,
τοιαῦτ' ὀνείδη λαμβάνων, ἃ τοῖς ἐμοῖς
γονεῦσιν ἔσται σφῷν θ' ὁμοῦ δηλήματα;

Quaeritur autem hoc loco, quo modo σφῷν intellegendum sit. Si, quod omnes fecerunt, σφῷν dativum intellegimus, ita ut sensus sit: „Quis tantam ignominiam suscipiet, quae meis parentibus et vobis perniciei erit," ne ulla quidem hoc loco ipsius Oedipodis mentio fit, quam tamen necessariam prorsus esse ipse vidit scholiasta recens, qui, cum σφῷν dativum intellegeret, incertum utrum sua an aliena coniectura, his verbis loci sensum explicavit: ὀνείδη ἃ τοῖς γονεῦσιν ὑμῶν καὶ ὑμῖν ὁμοῦ ἔσται δηλήματα, ἤγουν βλάβαι, ἀτιμίαι. Ut autem mentio Oedipodis necessaria est, ita illa liberorum, quae inest in dativo σφῷν, prorsus falsa hoc loco est. Eorum enim de pernicie vel morte — ea enim significatur nomine δηλήματα — Oedipus omnino non cogitat, cf. versus 1459 sqq., neque omnes patris fortuna perierunt. Hac de causa Jebbi quoque coniectura γόνοισιν, quam Bruhnius ad l. probavit allato etiam γαμβροῖσιν, concidit, quae, praeterquam quod omnino falsam notionem versui infert, ab usu Sophoclis recedit, qui γόνος pluraliter non usurpabat neque in initio versus collocabat, qua de re conferas ea quae supra s. v. dixi. Unum igitur restat, ut σφῷν genitivum esse dicamus versumque sic intellegamus: „Quis tantam ignominiam suscipiet, quae meis parentibus, Iocastae scilicet et quodammodo Oedipodi ipsi ut eius coniugi, et vestris perniciei erit." Hic autem sensus optimus est, nam id ipsum totius tragoediae argumenti foedissimum est, quod οἱ ἐμοὶ γονεῖς et σφῷν οἱ γονεῖς eidem sunt, cf. 425, 458, Eur. Ph. 1695 ὦ μῆτερ, ὦ ξυνάορ' ἀθλιωτάτη. Tempore autem futuro ἔσται idcirco usus est poeta, quod mors Oedipodis, gravissima ipsi et liberis, instat nequedum advenit.

Omnia ea de quibus disserui nomina parentes significantia a sermone comoediae plane repudiata sunt, cum Nu. 994 καὶ μὴ περὶ τοὺς σαυτοῦ γονέας σκαιουργεῖν et Pa. 1301 ψυχὴν δ' ἐξεσάωσα· κατῄσχυνας δὲ τοκῆας ipsius Aristophanis non sint. Nulli alii causae nisi studio saepe demonstrato illi nominum,] quorum significatus genere certo distinctus est, tribuo, quod comici poetae nomen pro parentibus ne unum quidem usurpaverunt. Utrumque, et patrem et matrem, seiuncte nominare solebant, velut Ra. 149 εἴ πού τις ἢ μητέρ' ἠλόησεν ἢ πατρὸς γνάθον ἐπάταξεν [1]).

[1]) In sermone pedestri interdum illa tragica vocabula, imprimis γονεῖς, inveniuntur, velut apud oratores, sed raro tantum; cf. e. g. quam graviter Plato leg. 11, 931 a notionem parentum expresserit verbis quae sunt πατὴρ οὖν ὅτῳ καὶ μήτηρ ἢ τούτων πατέρες ἢ μητέρες ἐν οἰκίᾳ κεῖνται κειμήλιοι ἀπειρηκότες γήρᾳ.

Nomina quibus maritus et uxor, socer et gener significantur, quorum altera omnino raro leguntur, nihil praebent, quod uberiore disputatione dignum sit. Tot illis quae tragoedia usurpabat vocabulis, velut *ἀνήρ*, *φώς*, *πόσις*, *δάμαρ*, *ἄλοχος*, *εὔνις*, *ἄκοιτις*, al., quae comparari possint e copia verborum comoediae, sola sunt *ἀνήρ* et *γυνή*.

Haec autem sunt, quae de usu vocabulorum, quae ad necessitudinis varios gradus denotandos usurpantur, commemoratu digna habeo. Ut summam totius capitis breviter comprehendamus, verborum quae tractavi duas potissimum partes distineamus necesse est. Ac prior quidem eorum est nominum, quibus tragoedia utebatur homines intellegens personas genere indistinctas, quae aut utriusque generis communia erant aut articulo tantum distinguebantur, velut *τέκνον*, *τέκος*, *παῖς*, *γόνος*, *ὅμαιμος*, alia. Horum verborum comoedia neutralia illa prorsus fere reiciebat, cum tamen excoleret deminutiva, cetera certis quibusdam notionibus attribuebat. Altera autem pars verborum ea est, ubi pro nominibus certo genere alligatis communia praesto non erant, velut pro *πατήρ*, *μήτηρ*, *υἱός*, *θυγάτηρ*. Haec autem vulgaria a tragoedia causis, quae inerant in argumento et consilio eius, repudiabantur, ita quidem, ut in eorum locum substituerentur aut illa a comoedia eadem usurpata, alia tamen vi praedita, velut *γεραιός*, *γραῦς*, *παρθένος*, *κόρη*, *νεανίας*, aut epica vel lyrica, ut *τοκεῖς*, *γονεῖς*, aut denique ab ipsa tragoedia formata, dico *ὁ τεκών*, *ἡ τεκοῦσα*, *ὁ φύσας*, *ὁ φυτεύσας*, alia. Sermo contra cotidianus vetera nomina a maioribus tradita retinebat eorumque vim principalem sequebatur, et ut ad unam quamque notionem unum tantum nomen respondebat, ita cum hoc nomine coniungebatur una quidem notio, sed illa clarior et omnium intellectui magis perspicua.

CAPVT SECVNDVM.

Adhuc imprimis id egi, ut certi cuiusdam verborum generis vim ac significatum cognoscerem et disponerem, qua re, quantopere fines notionum, quibus illa verba attributa sunt, in tragoedia et comoedia extenderentur aut coartarentur, demonstrarem. In eis quae sequuntur id quoque ostendam, qua ratione ea nominum genera, quae tractanda mihi proposui, formata sint quoque modo e natura sua cum ceteris enuntiati membris coniuncta. Quod ut assequerer, elegi nomina verbalia Graeca, quae ad exponendam differentiam, quae est inter tragicorum et comicorum sermonem, maxime idonea mihi videbantur quaeque adhuc nec universa nec certis finita rationibus tractata sunt. Si autem ea, quae opere hoc tam artis finibus circumscripto effici possunt, approbata erunt, maiore ambitu ad rem certe dignam accessurum me esse spero et nominum illorum usum per maiorem partem litterarum Graecarum persecuturum.

Ac primum quidem, cum definiatur necesse sit ipsa notio nominis verbalis, quam brevissime possum ea afferam, quae grammatici et veteres et nostri de ea nominum specie docuerunt.

Antiquorum autem duo praecipue viri sunt, quos de hac re quaerentes adire debemus, Dionysius Thrax scilicet et Herodianus, quem alterum ceteri omnes secuti esse videntur. Eorum autem utriusque cum definitio nominis illius diversa sit, et cum is, qui aetate posterior erat, prioris auctoritatem secutus non sit, quam rem infra probabo, hoc loco a posteriore illo Herodiano ordiri liceat.

Huius autem grammatici operis, quod inscribitur *περὶ ῥηματικῶν ὀνομάτων*, quod ipse semel (Mon. 6, 13) laudat, paucae admodum reliquiae servatae sunt, quas Lenzius[1]) ductus causa, quam vol. I editionis suae p. CXV exposuit, secundum terminationes *ων ης ις ος α η ω*, quibus adiuncta sunt neutra et monosyllaba, in ordinem redactas vol. II p. 897 sqq. composuit.

Cum Herodiani definitio nominis verbalis ipsa servata non sit, cumque grammaticus nomina ea tractaverit ratione habita maxime prosodiae, cui imprimis operam dabat, ex exemplis, quae dedit, eruamus necesse est

---

[1]) Herodiani Technici Reliquiae, Lipsiae 1867.

quae nomina verbalia intellexerit quoque modo ea formata esse iudicaverit. Proferam igitur hoc loco nonnulla eius enuntiata. Atque e prima quidem parte (p. 897) hoc sumpsi: *ὡς ἀπὸ τοῦ ἀλγήσω μέλλοντος ἀλγηδὼν ἀλγηδόνος, οὕτω καὶ ἀπὸ τοῦ χαίρω χαιρήσω χαιρηδών.* Similia, quantum quidem attinet ad formationem nominum, haec sunt p. 898: *τὰ εἰς ις ἐσχηματισμένα ἀπὸ βαρυτόνων μελλόντων ἢ δευτέρου προσώπου τοῦ παθητικοῦ παρακειμένου βαρύνεται, . . . ποιήσω ποίησις, γνώσω γνῶσις . . . μεμίανσαι μίανσις* et subinde *τὰ εἰς ξις καὶ ψις ἀπὸ μελλόντων ἐσχηματισμένα βαρύνεται, ἕξω ἕξις, λέξω λέξις, ψύξω ψύξις.* De derivatis nominibus a certa quadam temporis forma infra agam; hoc loco id velim teneamus ut gravissimum, grammaticum et puram stirpem vel radicem, velut *εχ ψυγ*, et stirpem verbalem, quae in tempore praesenti cernitur, velut *χαιρ ποιε*, fundamenta nominis verbalis esse docuisse. In secunda parte sequuntur p. 897 nomina agentis: *τὰ εἰς της λήγοντα ἀρσενικὰ φύσει*[1]) *δισύλλαβα βαρύνεται οἷον δότης, πλύτης, θύτης, πράτης.* In his quoque exemplis nomina a radice formata invenimus. Maximi autem momenti hoc est enuntiatum, quippe quo clare atque aperte dicatur, quid pro fundamento nominum verbalium habuerit grammaticus, p. 898: *τὰ εἰς ης ἐπίθετα παρὰ ῥῆμα σύνθετα εἰς ους ποιοῦντα τὴν γενικὴν ὀξύνεται, εὐσεβής, εὐλαβής,* al. Ex his verbis cognoscimus Herodianum talia nomina a radice derivata vere intellexisse *ῥηματικά.* Quae deinde sequuntur, velut *τροπή, λαβή, τιμή, φυγή* a verbis, quae ad ea respondent, ducuntur, non est quod afferam, cum nihil eis cognoscatur novi. Videmus igitur Herodiano quodvis nomen, quod cum verbo aliquo partem aliquam quamvis parvam communem haberet, ab eo derivatum visum esse, eum igitur, pronuntiare liceat, plurima nomina Graeca accepisse verbalia, cum tamen non demonstrasset formationem illam factam non esse inverso ordine, verbum scilicet e nomine originem duxisse. Nullum igitur discrimen fecit ille vir doctus inter nomina verbalis significatus et illa verbalis formationis.

Nostrorum grammaticorum non pauci hanc sententiam suam fecerunt. Curtius[2]) disertis quidem verbis *τιμή* e. g. derivatum esse dixit a stirpe *τιμ*, non a verbo *τιμάω*, deinde autem nominibus verbalibus adscripto opposuit nomina denominativa, quippe qui distingueret duas tantum illas species. Kuehnerus[3]) quoque nomina, quae a radice aut a verbo derivantur, coniuncta eis opposuit, quae a nominibus originem duxerunt, cum prorsus facile non esse diceret distinguere inter nomina derivata a radice et ea, quae a verbis primitivis ducta essent[4]). Lobeckius contra egit cautius, cuius verba de ea re haec sunt[5]): „Sed num *λύπη*, ut idem (Buttmannus

[1]) Φύσει addidit grammaticus, ut nomina velut ληστής separaret, quae natura sua bisyllaba non sunt.

[2]) De nominum Graecorum formatione, Berolini 1842, p. 27 sqq.

[3]) l. l. I, 2, 265.

[4]) l. l. I 2, 258.

[5]) Rhematicon, Regimonti 1846, p. 271.

scilicet) statuit, a *λυπέω* et *βοή* a *βοάω*, an hoc ab illo derivatum sit, despero ita diiudicari posse, ut nihil dubitationis relinquatur." Non igitur aperte dixit *λύπη* nomen esse verbale, sed tamen aut nomen a verbo aut verbum a nomine ductum esse iudicavit.

Omnes hos viros nomina et a radice ducta, ut *βάσις γνῶσις*, et a verbo derivata, ut *ποίησις ἄρνησις*, accepisse verbalia cognovimus. Iam autem, ut res conficiatur, alterum antiquum grammaticum advocemus.

Dionysius Thrax *Τέχνης* suae p. 634 b nomen dividi dicit in duo *εἴδη*, *πρωτοτύπων* scilicet et *παραγώγων*. Horum autem nominum derivatorum *εἴδη* sunt septem, e quibus unum est *ῥηματικόν*, quod p. 635 b sic describitur: *ῥηματικὸν δέ ἐστι τὸ ἀπὸ ῥήματος παρηγμένον, οἷον Φιλήμων, Νοήμων.* En habemus definitionem, secundum quam grammaticus, ut ex exemplis allatis colligere debemus, verbum, et illud quidem integrum et usurpatum, pro fundamento nominis verbalis haberi vult. Non enim praebet exempla, qualia sunt e. g. *τλήμων, φράδμων*, quae a radice ducta sunt. Haec autem definitio pluribus verbis explicata est a scholiastis [1]). Alterum enim scholium Vaticanum (l. l. p. 229) haec praebet: *ῥηματικόν ἐστιν ὃ παρῆκται ἀπὸ ῥήματος, οἷον ποιῶ ποιητής, γράφω γραφεύς.* Ab ea igitur, quam cognovimus Dionysi definitionem, hanc recedere non nihil videmus. Scholium autem Vaticanum prius (p. 228) paulo uberius est, cum simul de genere nominis verbalis verba fiant: *ῥηματικόν ἐστιν ὄνομα ὃ γεγονὸς ἀπὸ ῥήματος ἐνέργειαν ἢ πάθος δηλοῖ, οἷον πεποίηται ποιητὴς ὁ ποιῶν τι, πεποίημαι ποίημα τὸ ποιηθέν*; similia sunt scholium Marcianum p. 377 et Londinense p. 543.

Vidimus in scholio Vaticano altero nomen *γραφεύς* acceptum esse verbale, et fortasse quis dixerit exempla illa ab ipso verbo ducta a Dionysio forte allata esse neque impugnari eis alterum illum formandi modum, quem apud Herodianum invenerimus. Itaque paulo accuratius verba Dionysi, quae de nomine fecit, consideremus necesse est. In extremo capite *περὶ ὀνομάτων*, p. 637 b, grammaticus haec docet: *τοῦ δὲ ὀνόματος διαθέσεις εἰσὶ δύο, ἐνέργεια καὶ πάθος, ἐνέργεια μὲν ὡς κριτὴς ὁ κρίνων, πάθος δὲ ὡς κριτὸς ὁ κρινόμενος.* Hoc enuntiatum satis clarum et apertum nimis multis et superfluis verbis magistri in modum factis explicare studuit Heliodorus grammaticus l. l. p. 70, cuius similes sunt ceterorum annotationes p. p. 243, 399, ita ut eius verba instar omnium afferre satis sit. Dicit autem ille haec: *Διαθέσεις μᾶλλον τῷ ῥήματι ἕπονται, καὶ οὐ τῷ ὀνόματι· ἀλλ' ἐπειδὴ ῥηματικά εἰσιν ὀνόματα ἔχοντα καὶ τὰς ἀπὸ τῶν ῥημάτων διαθέσεις, διότι ἐνεργείας ἢ πάθους εἰσὶ σημαντικά, τούτου χάριν τοῦ ὀνόματος εἶπεν εἶναι τὰς διαθέσεις. Πλὴν μεμπτέος ἐστὶν οὕτως ἀποφηνάμενος, ὀφείλων μᾶλλον οὕτως εἰπεῖν· ἔστι δὲ ὅτε καὶ διαθέσεις ὁρῶνται ἐν ὀνόμασι*

---

[1]) Scholia edita sunt ab Hilgardio Gramm. Gr. vol. III.

ῥηματικοῖς οὖσιν, οἷον παρὰ τὸ κέκριται γίνεται ὄνομα κριτὴς καὶ κριτός, ὧν τὸ μὲν εἰς ἐνέργειαν ἀναλύεται, τὸ δὲ εἰς πάθος. κριτὴς μὲν γάρ ἐστιν ὁ κρίνων, ὃ σημαίνει ἐνέργειαν, κριτὸς δὲ ὁ κρινόμενος, ὅπερ πάθος δηλοῖ.

Quod autem est gravissimum tot horum verborum, id est, quod grammaticus nomen κριτής dixit ῥηματικόν, invito Dionysio, ut demonstrabo. Hic enim, etsi non ignorabat διαθέσεις illas cerni non posse nisi in nominibus significatus verbalis, tamen ea nomina, quae quidem a stirpe derivantur, non iudicabat esse verbalia. Primum enim dixit suis verbis τοῦ δὲ ὀνόματος διαθέσεις εἰσὶ δύο, non ὀνόματος ῥηματικοῦ, deinde autem ipsa eius enuntiati collocatione satis probatur sententia mea. Postquam enim inde a p. 634 b tractata sunt illa πέντε ἃ παρέπεται τῷ ὀνόματι (non ῥηματικῷ), γένη scilicet, εἴδη, σχήματα, ἀριθμοί, πτώσεις, pergit grammaticus p. 636 b: ὑποπέπτωκε δὲ τῷ ὀνόματι ταῦτα, ἃ καὶ αὐτὰ εἴδη προσαγορεύεται· κύριον, προσηγορικόν, ἐπίθετον, alia. His demum pertractatis in ipso fine capitis sequitur illud enuntiatum, de quo disputamus. Facere igitur nemo potest, quin id ad totum ὀνόματος genus pertinere dicat, non ad speciem ῥηματικοῦ, quod ipsum nihil est nisi εἶδος maioris εἴδους παραγώγου.

Itaque quid Dionysius praeceperit apertum est. Verbum, non radicem communem nominis verbalis fundamentum esse eius sententia est certa. Distinguendum enim est inter formationem verbalem i. e. a verbo derivatam et significatum verbalem, qui in nomine etiam a radice ducto inest. Accedit quod, si e. g. τιμή, λόγος, βάσις verbalia putasset, grammaticus eius generis nomina certe attulisset neque ad tam aliena, ut Νοήμων, Φιλήμων, confugisset. Quaesiverit autem quis, cuinam speciei ascripserit Dionysius illius generis nomina, quae, quamvis usus sit brevitate, neglegere certe non potuerit. Ea autem ex definitionibus quas dedit unam illam πρωτοτύπων sequuntur, cui eidem nomina, quae et ipsa commemorata non sunt, velut πούς, κλώψ, ναῦς, al., attribuenda sunt.

Haec igitur est definitio Dionysi Thracis. Iam ut cognoscamus, unde scholiastae doctrinam suam ab auctore discrepantem sumpserint, unum tantum e ceteris eorum enuntiatis legendum est. Scholium autem Vaticanum, cum quo consentiunt cetera, p. 228 hoc est: πᾶν δὲ ῥηματικὸν ὄνομα διὰ τοῦ μ λεγόμενον οἰκειοῦται τῷ πρώτῳ προσώπῳ παθητικῷ κατὰ τὸ σύμφωνον, διὰ δὲ τοῦ τ τῷ τρίτῳ, οἷον πέπραγμαι πρᾶγμα πολυπράγμων, πεποίημαι ποίημα, πεποίηται ποιητής, πέπρακται πρακτός. Hanc regulam rectam non esse, neque universa nomina a certa quadam temporis forma esse derivanda iure contendit Buttmannus [1]), cum formae quamvis consonae significatum non raro haberent diversum (πρᾶγμα, πράγμων), quod ipsis eis exemplis quae supra attuli satis probatur. Non nimium

---

[1]) Ausfuehrl. Gr. Sprachlehre II² 395; cf. etiam Lobeck Rhematicon p. 263.

autem dixisse mihi videor, quod hoc modo nomina a certis temporum formis derivata esse dicuntur neque minus, quod nomina a radice ducta, velut *γραφεύς*, *κριτής*, verbalia accipiuntur, eam rem esse referendam ad exemplum Herodiani, cuius auctoritatem apud posteriorum temporum grammaticos plurimum valuisse constat. Ille unum quodque nomen, quod verbalem significatum prae se ferebat, verbale esse dicebat; sed quantulum re vera talia nomina et verba commune habeant, Leo Meyer[1]) exemplis usus *δίδωμι*, *δοτήρ*, *δόσις* bene exposuit, quae omnia ducta sunt a duabus illis litteris *δο*.

Equidem sequar Dionysium, ut nomen vere verbale tractem, quod scilicet ab ipso verbo derivatum est. Utrum hic grammaticus nomina actionis tantum et agentis intellexerit verbalia, an cetera quoque, quae a verbo ducta sunt, ita acceperit, nusquam dicitur. Haec quidem commentatio continebitur nominibus actionis, quorum fines tum tantum excedam, cum ea ipsa alium significatum assumpserint. Nomina quoque, quae in *ος η ια τος τη* terminantur, dico, e. g. *ἔλεγχος*, *ἅμιλλα*, *ἁμαρτία*, *κωκυτός*, *βιοτή*, hoc loco omittere licet nullo detrimento, cum usus eorum apud tragicos et comicos diversus omnino non sit. Ea tantum tractabo, quibus aliquid ad propositum assequendum conferri possit, exeuntia scilicet nomina in *δων σις μος μα*.

Pars Prima.

Nominum per *δων* formatorum Aeschylus novit *ἀχθηδών* Pr. 26, Sophocles *ἀλγηδών* OC. 514; Euripides usurparit compluries *ἀλγηδών*, Me. 24, 56, 1031, An. 259, fr. fr. 573, 908, *ξυναλγηδών* Su. 74. Aristophanes scripsit Ach. 4 *φέρ' ἴδω, τί δ' ἥσθην ἄξιον χαιρηδόνος*, quod nomen paratragoedicum, cuius modi formationum ea ipsa fabula plena est, intellegimus. De hoc autem nomine, quod uno hoc loco invenitur, inspicias librum, quem Jungius de singularibus comoediae vocabulis conscripsit[2]). Apud ceteros comicos nulla legimus similia vocabula, quibus universis, cum, quo modo formata sint quoque significatu praedita, appareat, operam amplius non dabimus.

Statim transeo ad ea quae per *σις* terminantur[3]). Horum Aeschylus, ut a praecipuis ordiar, ea imprimis usurpabat, quae derivata erant a verbis contractis in *εω* et *οω* exeuntibus, velut *ἄρνησις* Eu. 591, *ἀτίμωσις* Ch. 434;

---

[1]) Ausfuehrl. Gramm. der gr. und lateinischen sprache II p. 80.

[2]) Jungius De vocabulis antiquae comoediae Atticae, quae apud solos comicos aut omnino inveniuntur aut peculiari notione praedita occurrunt, Amstelodami 1897.

[3]) Cf. Kuehner l. l. I 2, 270; Buttmann l. l. II 399.

ὄνησις etiam legitur, Ag. 362, quod nomen ad certi cuiusdam temporis formam sese applicare apparet. In posterioribus tantum fabulis leguntur duo nomina, quae consonantem ante terminationem exhibent, ἄρηξις Pr. 564 et ἄλυξις Ag. 1298. Maior autem est numerus et magis varium formationis genus eorum, quae apud Sophoclem exstant. Praeter ea, quae exeunt in ασις, ησις, ωσις, inveni δύνασις An. 604, φεῦξις An. 362, ἄρηξις El. 876, denique, quod unicum legitur in tragoedia ductum a stirpe dentali, ἀνακούφισις OT. 218. Euripidem in ceteris adhibendis eadem varietate usum esse vix est quod dicam. Comoediae autem proprium erat ea tantum usurpare nomina, quorum ante terminationem vocalis aut diphthongus exstat, consonantem contra repudiare. Ita verbale quoque illud ἀπόφευξις, quod libris semper dissentientibus a nonnullis defenditur Nu. 874, Ve. 558, 562, 645, secutus Lobeckium[1]), qui comparavit ἀπόφυκτος, φύξιμος, alia, mutare in ἀπόφυξις non dubito. Versus autem Th. 137, ubi legimus τίς ἡ τάραξις τοῦ βίου; a Mnesilocho illo, ut saepe alibi, tragice formatus est, cum eius generis vocabulorum loco comici poetae uterentur vocibus ταραχή, ἀρωγή, aliis. Eorum autem, quae ante terminationem σις vocalem habent, maxime illa a verbis in ιζειν ducta usurpare solebant Attici, velut ἀφάνισις Nu. 765, βάδισις Ve. 1171, γυναίκισις Th. 863, ὅπλισις Ra. 1036, alia, e quibus in tragicorum fabulis unum tantum legi iam dixi, cum Euripideum illud ἄθροισις Hec. 314 inter ea numerare non liceat, quod ο et ι litterae in diphthongum coaluerunt. Causam autem, qua commoti tragici plane reiciebant talia nomina, eam maxime duco, quod tot illas breves syllabas, e quibus eorum nominum imprimis casus obliqui constant, suis trimetris, cum essent minus libere soluti, inserere non poterant.

E nominibus in σις finitis derivata sunt ea, quae σια terminationem habent[2]). Horum autem legimus apud Aeschylum χειρωναξία Pr. 45, Ch. 757 et δημηλασία Su. 6. Non aliter atque Homerus, qui εἰρεσίῃ μ 225, βοηλασίῃ Λ 672 scripsit forma ionica, ea tantum usurpabat poeta, quorum formae correptae omnino non exstabant. Apud Sophoclem unum inveni exemplum, εἰρεσίῃ Ai. 249. Omnium eorum quae attuli proprium est, quod ante terminationem σια vocalis exstat brevis; Euripides primus hac regula se liberavit. Fr. enim 1100 legimus glossam quae est εὐπαιδευσία, a Polluce 9, 161 servatam, Hi. 1039 et Ba. 641 exstat εὐοργησία. Neglegendum non est haec duo nomina esse composita et ea quidem, quorum forma brevis in σις non legitur, cum contra Hi. 261 inveniamus ἐπιτήδευσις. Haec autem gravia nomina verbalia, cum comoediae omnino desint, apud Platonem et Thucydidem nonnumquam inveniuntur. Contra ea, quorum vocalis brevis est,

---

[1]) Phrynichi p. 726.

[2]) Cf. Kuehner l. l. I 2, 270.

aeque atque illa in ισις exeuntia, sermo cotidianus Atticorum et, ut ex Homeri usu apparet, Ionum libenter et saepe usurpabat. Apud Aristophanem quidem haec exstant exempla: ἱππασία Ach. 1165, ξυνωμοσία Eq. 476, ἐξωμοσία Ec. 1026, ἀντωμοσία Ve. 544, 1041, ἀγυμνασία Ra. 1087, ἐργασία Ra. 1034, quod idem legitur Pherecratis fr. 85. Apud Platonem etiam et magis apud oratores ea nomina inveniuntur. Tragicos autem illa plane fere evitasse eadem causa, qua nomina in ισις, putaverim, praesertim cum neutra quoque eius stirpis, velut γυμνάσιον, alia, rarissima sint apud eos.

Nominum in μος finitorum[1]) ea, quae a verbis contractis originem duxerunt, ante terminationem exhibent consonantem, velut ὀρχησμός Eu. 373, πατησμός Ag. 954, κροτησμός Se. 548, μυκηθμός fr. 158, ἀριθμός saepe, quod tamen nomen actionis esse desiit. Neque aliter res se habet in eis nominibus, quae a stirpe ducta sunt, velut δρασμός, χρησμός, aliis. Saepius autem quam haec nomina leguntur illa, quae consonantem ante terminationem natura sua exhibent. Liquidae ope formatum est ὀδυρμός Pr. 33; a verbis in ιζω derivata sunt nomina in ισμος, cum ab eis in αζω et υζω nomina tantum in γμος ducerentur, velut στεναγμός Pe. 899, ὀλολυγμός Se. 254, eodem modo ab eis in ασσω, ut σταλαγμός Se. 61, et a διώκω Su. 153 διωγμός. Apud Sophoclem autem multo rariora sunt haec nomina. Praeterquam quod ἀριθμός legitur, cuius tamen originem ignoramus, ab eis tantum verbis ducta sunt nomina, quae in αζω, ωζω, ασσω exeunt, omnia tamen per γμος formata, et a καθαίρω, velut στεναγμός OT. 30, οἰμωγμός fr. 855 v. 5, ἀραγμός OC. 1609, καθαρμός OT. 99. Vocalia illa, quae apud Aeschylum legimus, velut ὀρχησμός, alia, plane desunt eodem modo, quo apud Euripidem, qui, cum ceterorum usum Aeschyleum sequeretur, illorum tantum usurpabat κελευσμός multis locis. Regula illa, quam modo cognovimus, vocalem scilicet non ante ipsum suffixum μος nominum verbalium exstare, satis probatur, credo, omnibus locis κελευσμός et eodem modo κέλευσμα scribendum esse, quas formas et libri manuscripti et editores[2]) non desierunt variare scribendo κελευμός et κέλευμα, analogia scilicet ducti verborum in ευω, velut δουλεύω δούλευμα, quibuscum tamen κελεύω coniungendum non esse Leo Meyer s. v. docuit[3]). Aristophanes denique eis maxime nominibus utebatur, quae in ασμος, ιγμος, ισμος exeunt, quibus quae respondent verba comoediae imprimis propria esse iam dixi. Quae autem leguntur λοιδορησμός Ra. 760 et σκαριφησμός Ra. 1497 ipsius Aristo-

---

[1]) Cf. Brugmann l. l. p. 185; Kuehner l. l. I 2, 272; Lobeck Paralipomena p. 397.

[2]) Cf. Lobeck ad Ai. 704; Jebb ad Soph. An. 1219.

[3]) Leo Meyer, Handbuch der griech. Etymologie.

phanis non sunt, neque alia, quae a verbis ducta sunt contractis aut vocalibus, apud comicos leguntur omnino.

Haud ita saepe in comoedia, eo magis autem in tragoedia inveniuntur ea nomina, quae in μα exeunt[1]), quorum apud unum Euripidem plus quam 250 exstare, e quibus circiter 80 ab ipso formata sint, Schirlitzius l. l. p. 15 contendit. Praeter ea nomina, quae in αμα, ημα, ωμα, υμα, ευμα cadunt quaeque maximum obtinent locum, illa exstant, quorum ante terminationem quaevis littera consonans locum habet; ea quoque inveniuntur, quae ad temporis formam aliquam sese applicant, velut πέσημα, πάθημα, δράμημα[2]). Syllaba autem, quae exstat ante suffixum μα, semper longa est, qua de re et quo modo omnino nomina in μα formata sint fuse disputavit Lobeckius[3]), ad quem delego qui plura desiderat. In formandis his nominibus comici non recedebant a tragicis; numero tantum differunt.

Cum autem nomina per μα formata significatu illa in μος nonnumquam adaequent, qua de re infra fusius agendum erit, non raro fit, ut eidem stirpi et μα et μος adiungatur, quo modo usurpata legimus Pr. 33 πολλοὺς δ' ὀδυρμοὺς καὶ γόους ἀνωφελεῖς et Ch. 506 ἄκου', ὑπὲρ σοῦ τοιάδ' ἔστ' ὀδύρματα; σταλαγμός Se. 61, Eu. 247, στάλαγμα Eu. 805; Su. 153 διωγμοῖσι δ' ἀσφαλέας . . . ῥύσιος γενέσθω et Eu. 139 ἕπου, μάραινε δευτέροις διώγμασιν. Certissimum est tertium exemplum, quo cognoscitur significatum actionis nominum in μα posteriore demum tempore in usu fuisse quam eorum in μος, quorum proprius erat. Apud Euripidem hic usus latius patebat; exempla haec sunt quae afferri possint: κάθαρμα IT. 1316, καθαρμός IT. 1191, Ba. 77; σπάραγμα Ba. 739, σπαραγμός Hec. 656, al.; δίωγμα An. 992, Hel. 1623, διωγμός HF. 898, Or. 412. Rem igitur videmus aliter se habere; terminatio μος semel prius legitur quam μα, μα autem bis ante μος. Ab Euripide enim nominum in μα vim ac significatum omnes in partes magis extentum esse infra exponam. Apud Sophoclem nomina ab eadem stirpe ducta, diversis tamen terminationibus instructa, quae quidem eandem vim habeant, prorsus non inveniuntur; passivum legitur σπάραγμα An. 1081, σπαραγμός activum Tr. 778. Eodem modo Aristophanes tales formationes reiciebat, qua re, quantopere suffixorum significatum distinxerint et hic et ille, satis probatur[4]).

Nomina autem eiusdem stirpis quominus in μος et in σις formarent comici impediebantur regulis illis, quibus nomina illa formanda subiecta

---

[1]) Cf. Brugmann l. l. p. 189; Kuehner l. l. I, 2, 272.

[2]) Δράμημα scribendum esse docuit Cobetus var. lect. [2] p. 604, cum Lobeckius Phryn. p. 618 δρόμημα quoque admiserit.

[3]) Paralipomena p. 391 sqq.

[4]) Conferas quae in fine primi capitis exposui.

esse supra dixi; e tragoediae vocabulis ταραγμός Ch. 1054 et paratragoedicum illud τάραξις Th. 137 comparare licet. Comoedia autem suffixum σις usurpavit, ubi tragoedia μος usa est, semel, ὅπλισις Ra. 1036, ὁπλισμός Ag. 414.

Ut numeris illustrarem usum nominum quae tractavi in tragoedia et comoedia diversum, hanc tabulam addidi, qua composui nominum summam, singulis tamen semel tantum numeratis. Ne autem ea falso intellegatur, monendum est me ea nomina, quae apud Aristophanem leguntur in μα, omnia congessisse, et ipsius et aliena, cum certam omnino distinctionem, quae comico abroganda quaeque attribuenda essent, facere ausus non sim. Circa triginta, credo, aliis scriptoribus debuit poeta.

	Aesch.	Soph.	Eur.	Arist.
σις	7	22	22	14
μος	18	6	20	17
μα	120	94	205	85

Haec quamvis pauca dicta satis habeo, quibus praebeatur imago, cuius modi formationum nomina apud tragicos et comicos legantur. Iam ad significatum eorum cognoscendum adeamus, qui longiorem et graviorem quaestionem nobis movebit.

Pars Secunda.

Nomina in σις terminata plerumque accedunt ad significatum infinitivi[1]), velut ἴασις, ἄρνησις, alia. Si autem a verbo generis passivi derivata sunt nomina, significatus etiam passivus fit, ut ἅλωσις, quod Hesychius bene explicavit verbis θάνατος, ἀπολεία. Aeschylus huic nomini addidit genetivum urbis expugnatae, Ag. 594 φράζων ἅλωσιν Ἰλίου τ' ἀνάστασιν, eodem modo Eur. Hec. 1135, El. 1024, Soph. Tr. 288, Ph. 61. Apud Herodotum legimus 6, 21 notum illud Μιλήτου ἅλωσις, et apud posteriores quoque scriptores semper passiva est vis, velut Strabo 14, 635 scripsit δρᾶμα ἐποίησε Μιλήτου ἅλωσιν ὑπὸ Δαρείου, Plut. Num. 15 ἑαλωκότες ἰσχυρὰν καὶ ἄφυκτον ἅλωσιν, alia. Itaque puto versus chori Se. 111/2, qui sunt

ἀλλ' ὦ Ζεῦ πάτερ παντελές, πάντως
ἄρηξον δαίων ἅλωσιν

recte interpretandos esse non: „arce hostium expugnationem, hostes expugnantes", — id enim esset δαίων αἵρεσιν —, sed „arce ne urbs ab hostibus expug-

[1]) Cf. Buttmann l. l. p. 399; Kuehner l. l. I 2, 270.

netur", ad quam interpretationem ducor etiam scholiastae annotatione, quae est *βοήθησον ὥστε μὴ ὑπὸ τῶν πολεμίων ἅλωσιν γενέσθαι*, cum recens aliam illam quam impugnavi secutus sit viam scribens *ἄρηξον τὴν τῶν πολεμίων καταστροφήν*. Genetivi autem illius nomini passivo adiuncti praeclarum exemplum est versus Or. 723, qui legitur *ὅποι τραπόμενος θάνατον Ἀργείων φύγω* [1]).

Infinitivi illa vis et activi et passivi praecipua est nominum in *σις*. Sed Graeci, quanta erant licentia in usurpandis suffixis, de qua infra agam, huic quoque significatum participii passivi attribuebant. Apud Homerum legimus e. g. *ἄροσις* pro agro ι 134, tragicorum est *οἴκησις*, quod legitur e. g. Aesch. Su. 1020, Soph. An. 892, Ph. 31. Alia autem huius significatus nomina repudiabantur omnino, ideoque maxime dubito cum Seidlero, quem omnes fere secuti sunt, OC. 9/11

ἀλλ', ὦ τέκνον, θάκοισιν, εἴ τινα βλέπεις
ἢ πρὸς βεβήλοις ἢ πρὸς ἄλσεσιν θεῶν,
στῆσόν με κἀξίδρυσον

pro *θάκοισιν* legere *θάκησιν*. Primum enim monuerim *θακεῖν* non esse verbum transitivum, cum nihil probetur versu Pr. 405 *νέον θακοῦντι παγκρατεῖς ἕδρας*, quo accusativum *ἕδρας* obiectum quod dicunt internum accipimus, ita ut, quo coniectura fulciatur, confugere non liceat ad nomen quod est *οἴκησις*, sicut Jebbius ad l. fecit. Deinde autem quod traditum est *θάκοισιν* bonum esse apparet et retinendum est. Dativum enim intellego locativum, quem coniungendum esse puto cum duobus illis imperativis, ut Eur. El. 314/5 legimus *μήτηρ δ' ἐμὴ Φρυγίοισιν ἐν σκυλεύμασι θρόνῳ κάθηται*. *Βεβήλοις* autem neutri generis esse dico, ut 167 *ἀβάτων ἀποβὰς φώνει*, neque, qua una via Jebbius verbum traditum defendi posse putavit, coniungo *θάκοισι πρὸς βεβήλοις στῆσον*, cum nimis implicata esset collocatio verborum, neque praepositionem *πρός* verba illa hoc loco tolerarent. Pluralis autem *θάκοισιν* generaliter dictus est de sedibus, in quarum una considere cupit Oedipus, neque est quod quis offendat in numero illo variato *θάκοισιν - τινά*, quocum optime conferri possunt versus Hec. 359/60 *ἔπειτ' ἴσως ἂν δεσποτῶν ὠμῶν φρένας τύχοιμ' ἄν, ὅστις ἀργύρου μ' ὠνήσεται*, Me. 219/20, IA. 688/90.

Eadem autem de causa, qua modo codicum scripturam a coniectura defendi, significatu scilicet sollemni nominum in *σις*, reiciamus necesse est nomen, quod Soph. Ph. 534 legimus, ubi Philocteta, cui Neoptolemus reditus spem aperuit, exclamat:

ἴωμεν, ὦ παῖ, προσκύσαντε τὴν ἔσω
ἄοικον εἰσοίκησιν, ὥς με καὶ μάθῃς
ἀφ' ὧν διέζων ὥς τ' ἔφυν εὐκάρδιος.

Vocabulum enim *εἰσοίκησις*, semel tantum dictum, hoc loco intellegi posse

1) Cf. Brugmann l. l. p. 393.

omnino nego. Nihil enim significare potest nomen nisi ipsum actum immigrandi, ut similiter nomina actionis sunt ἐξοίκησις, ἀποίκησις. Non autem esse potest id, in quod quis migravit, cuius usus exempla prorsus desunt, cum nominibus ἀποικία, συνοικία, quae a stirpe ducta sunt, nihil probetur. Verbum autem εἰσοικέω esse non potest „habitare in," εἰσοίκησις igitur non id, in quo quis habitat, cum εἰς idem non sit quod ἐν, quae res nonnullos fugisse videtur. Iure igitur Anth. Pal. 7, 320, unico loco illo, quo hoc verbum invenitur, Τίμων μισάνθρωπος ἐσοικέω, mutaverunt viri docti in ἐνοικέω. Eo autem, quod Jebbius ad illustrandum illud ἅπαξ λεγόμενον attulit, ἐξοικήσιμος scilicet OC. 27, nihil proficimus, cum ἐξοικεῖν verbum sit transitivum. Passivum ferri posset unum ἐνοίκησις, ut posteris temporibus formatum est διοίκησις. Apparet igitur nomen εἰσοίκησις ferri non posse loco quem tractamus. Ipsum illud, quod poeta scripsit, adhuc inventum non est neque ego inveni; spero tamen viam me esse demonstraturum, qua procedendum erit eis, qui sanare conabuntur corruptelam. Ortum enim esse dico nomen εἰσοίκησιν e duobus vocabulis εἰς οἴκησιν, quae eum scripsisse puto, qui falso ἴωμεν cum verbis εἰς οἴκησιν coniungebat, cum verbum illud ἴωμεν ad profectionem ab insula esse referendum vix est quod moneam. Corruptelam autem loci altius etiam quaerendam esse argumento est adiectivum ἄοικος illud, quod uno hoc loco significat „[domus] quae non domus est", cum ceteris omnibus locis exstet pro eo, quod est „sine domo". Talis autem adiectivi usus maxime Sophocleus est; exspectamus autem post illud adeo non nomen alterius formationis neque cum praepositione coniunctum, ut unum οἶκος toleremus, velut legimus Ph. 848 ὕπνος ἄυπνος, Ai. 665 ἄδωρα δῶρα, El. 1154 μήτηρ ἀμήτωρ, alia. Iam si nomen οἶκος necessarium est, ad articulum τήν qui respondeat accusativum femininum desideramus. Legemus igitur ἄοικον οἶκον, adiectivo enallages forma quadam ad insequentem accusativum relato, qui usus non rarus est, velut An. 793/4 legitur σὺ καὶ τόδε νεῖκος ἀνδρῶν ξύναιμον ἔχεις ταράξας. Hoc autem accusativo quid contineatur, repetendum est e versu 32 οὐδ' ἔνδον οἰκοποιός ἐστί τις τρυφή. Huc ducere potui quaerentem; ipsum nomen ut invenirem mihi non contigit.

Haec de usu tragicorum dicenda erant. In comoedia passivus ille significatus nominum in σις plane deest, cum οἴκησις Th. 272, Ec. 674 sermone elato dictum sit pro sollemni illa voce οἰκία. Metonymia tamen quadam usi, cui cognoscendae infra magis incumbemus, paucis locis comici terminatione illa σις instrumentum significabant, quo actio perficitur. Ut apud alios βάσις pro pede legimus aliaque nomina, sic apud Aristophanem ἐτνήρυσις Ach. 245, οἰνήρυσις ibidem 1067, λόφωσις Av. 291, πτέρωσις Av. 94, 97, quorum tamen duo haec postrema in communi usu certe non erant.

Eodem modo, quo nomina in σις, ea quoque, quae in μος finiuntur, abstractam vim infinitivi prae se ferebant. Praeter illud ἀριθμός, cuius

origo aperta nondum est, passiva non inveniuntur; in nomine σταλαγμός et apud tragicos et apud comicos eandem metonymiam invenimus, quam modo cognovimus paucorum nominum in σις, ita ut sit σταλαγμός id, quod destillat, stilla. Eodem autem modo rem se habere dicemus in nomine ὀφθαλμός, etsi verbum, a quo illud ductum est, ignoramus. Sine dubio ὀφθαλμός non aliter interpretandum est quam ὄμμα, δέργμα, quae ipsa intellegi non possunt nisi metonymiae illius ope.

His autem duobus pervenimus ad tractandam nominum in μα exeuntium vim, quae haud raro difficillima est distinctu, qua factum est causa, ut, quae grammatici de ea docuerunt, diversissima sint. Buttmannus [1]) enim significatum praecipuum esse dicit passivum, quem tamen fluctuari monet exemplo dato φρόνημα, nihil accuratius dicens. Kuehnero [2]) haec nomina significant plerumque id, quod actione effectum est. Brugmannus [3]) denique docet neutra illa initio fuisse nomina actionis, quae saepe in rei significatum abierint, nullo tamen allato nomine actionis.

Maxima autem pars horum nominum vi passiva praedita est, ita ut significetur aut id, quod actione effectum est, aut res vel homo, ad quem pertinet actio, quae vis ipsa similitudine cum formis perfecti passivi, quae ne veteres quidem grammaticos fugit (cf. supra), satis probatur. Atque ea imprimis nomina, quae a verbis transitivis derivata sunt, hoc modo usurpabantur.

Ut autem suffixum μος passivum esse poterat, velut in χρησμός, sic etiam μα active dicebatur, velut θαῦμα, νόσημα, maxime quidem in eis nominibus, quae a verbis intransitivis originem ducebant, et illis imprimis, quae, cum exstaret vocalis ante terminationem, in μος exire non poterant. Tertius autem, et ille quidem maxime a tragoedia excultus, est significatus, qui illum participii adaequat, velut δούλευμα est ὁ δουλεύων, cuique vis latinae terminationis men, quae legitur e. g. in levamen, solamen, al., respondet. Est haec quidem metonymia, ita ut abstractum pro concreto usurpetur [4]), qui usus locum obtinebat et obtinere debebat maximum in sermone artificioso tragoediae, cuius tamen et in Graeca et in aliis linguis non pauca exstant similia, cf. e. g. nostrum bedienung, aufwartung, al. [5]).

Ceterum haec metonymia apud tragicos non primos invenitur; ipse Homerus decem participialia, ut ita dicam, et quattuor tantum passiva nomina verbalia in μα novit. Crebriorem autem hunc usum suffixi μα et magis propagatum apud tragicos esse quam apud comicos ipsum per se

[1]) Gr. Sprachl. II ² p. 398/9.
[2]) l. l. I 2, 272.
[3]) l. l. p. 189.
[4]) Strictim de hac re egit Kuehner l. l. II 1, 10.
[5]) Rueter De metonymia abstractae notionis pro concreta apud Aeschylum, Halis 1877; Pecz Die tropen des Aeschylus, Sophokles und Euripides, Berlin 1886.

apparet et eis, quae supra attuli, satis probatur. Non minima autem huius usus causa erat, quod illi, cum sequerentur rationes eas, quas supra exposui, haec nomina de hominibus etiam usurpare poterant.

Iam meum est, quod tota hac commentatione poscitur, aperire, quae sit differentia inter utrumque sermonis genus, qua in re nonnulla vocabula adhuc parum, ut videtur, intellecta, significatui activo aut participiali, quibus nominibus uti mihi liceat brevitatis causa, attributurum me esse spero.

Longe maximam partem nominum in *μα* vim passivam assumpsisse iam dixi. Et apud ceteros et apud poetas, quorum sermonem equidem tracto, res ita se habet, neque meum est quaerere, utrum ille significatus principalis sit, an alius quidam praecesserit. Passivis autem illis enumerandis supersedere mihi licet, quippe quae ubique inveniantur. Unum tantum nomen, e cuius significatu magis magisque amplificato bene discimus, quantum in illis nominibus formandis sibi sumpserint poetae, quoque eodem probatur, quam arte ea sese applicaverint interdum ad perfectum passivum, hoc loco proferam. *Πέσημα* initio significat ipsum actum cadendi, velut Or. 1548 *διὰ τὸ Μυρτίλου πέσημ' ἐκ δίφρου*. Sequitur significatus eius quod cecidit, velut Eur. Ph. 1701 filii dicuntur *ὦ φίλα πεσήματ' ἄθλι' ἀθλίου πατρός*, HF. 1131, An. 652, IT. 1384 *τό τ' οὐρανοῦ πέσημα, τῆς Διὸς κόρης ἄγαλμα*, quo loco genetivus ille qui est *οὐρανοῦ* bene illustratur versu Tr. 1121, ubi de Astyanacte dicitur: *ὃν πύργων δίσκημα πικρὸν Δαναοὶ κτείναντες ἔχουσιν* [1]). Id tamen tenendum est omnibus his locis *πέσημα* non tam prae se ferre vim participii perfecti activi quam participii perfecti passivi [2]), quod magis etiam cernitur exemplo quod iam sequitur. Cum enim *πίπτειν* accedat ad vim passivae formae *βάλλεσθαι* (cf. HF. 853), voce *πέσημα* idem significatur, quod participio *τὸ βεβλημένον*, ita ut Hec. 699 reginae filius dicatur *ἔκβλητον ἢ πέσημα φοινίου δορός*. Genetivus autem hic e forma passiva pendet, ut El 123 *ὦ πάτερ, σὺ δ' ἐν Ἀίδᾳ κεῖσαι σᾶς ἀλόχου σφαγεὶς Αἰγίσθου τ', Ἀγάμεμνον*, Or. 497 aliisque locis.

Iam transibo ad secundam significatus speciem nominum in *μα*, dico activam illam vel melius infinitivi, qua prorsus aequantur nominibus in *μος*, ita ut differentia inter ea nulla sit [3]). Vis autem activa apud omnes Graecos multo rarius invenitur quam passiva. Homerus quidem uno tantum nomine sic usus est, quod legitur *τίσασθαι δ' Ἑλένης ὁρμήματά τε στοναχάς τε* B 356, 590, novissimis

---

[1]) Cf. Brugmann l. l. p. 396; Kuehner l. l. II 1, 394.

[2]) Eodem modo est *βλάστημα* Se. 520, Me. 1098 et *βλαστημός* Su. 320, Se. 12 non id, quod crevit, sed melius id, quod procreatum est.

[3]) Assentiri non possum Schirlitzio, qui l. l. p. 14 hanc sententiam protulit: „Neque enim *δίωγμα* plane idem esse crediderim quod est *διωγμός*; immo vero hoc, quantulumcumque est, discriminis statuam, ut *δίωγμα* et similia non tam abstractam actionis notitiam exprimant quam unum et quasi certum actionis exemplum". Haec nimis subtiliter quaesita esse exemplis infra afferendis demonstrabitur.

epici sermonis temporibus scriptum[1]), si modo recte hoc nomen a media forma ὁρμᾶσθαι derivatur, qua de re sententias varias doctorum composuit Ebelingius in lexico suo Homerico. Paulo plura inveni apud Pindarum, qui usus est nomine καύχημα I. 5, 51; αὔχημα P. 1, 92; πάλαισμα N. 7, 72; O. 9, 13; P. 8, 35.

Apud tragicos demum vis activa in usum venit sollemnem. Aeschylea autem exempla nominum in μα a verbis intransitvis derivatorum sunt haec, singulorum singulis tantum allatis: νόσημα Pr. 241, σκίρτημα Pr. 625, πλάνημα Pr. 854, πήδημα Pe. 96, στράτευμα Pe. 760, φθίνασμα Pe. 235, δράμημα Pe. 250, πίστευμα Ag. 869, πάλαισμα Ag. 63, ἅημα Ag. 1418, πέσημα Su. 948, γαμήλευμα Ch. 622, ἐκπέραμα Ch. 651, ὄρεγμα Ch. 795 a genere medio ductum, πότημα Eu. 250. Sophocles autem haec habet: νόσημα Ai. 338, ἅημα Ai. 674, πήδημα Ai. 833, ὄρχημα Ai. 700, πέσημα Ai. 1033, ἁμίλλημα El. 494, ὑπηρέτημα El. 1358, δράμημα OT. 192, ἐγχείρημα OT. 540, πλάνημα OT. 727, αὔχημα OC. 713, θάκημα OC. 1160, κοίμημα An. 864, λάτρευμα Tr. 357, πάλαισμα OT. 880, ἄλγημα Ph. 340, οἰκούρημα Ph. 868. In Euripidis autem fabulis multo plura leguntur huius generis nomina: πάλαισμα Me. 1214, κόρευμα Al. 178, στράτευμα Cy. 283, σκίρτημα Hec. 526, πέσημα Or. 1548, ἅγνευμα El. 256, νόσημα El. 656, φρούρημα Io. 511, πήδημα El. 861, ἀγώνισμα El. 987, εὔνημα Io. 304, θάκημα Io. 492, δούλευμα Or. 221, παρθένευμα Io. 1425, βάκχευμα Cy. 25, λάτρευμα IT. 1275, ἵππευμα IT. 1428, ἵδρυμα Ba. 951, οἰκούρημα Her. 700, ἔρεισμα HF. 109, ὀρφάνευμα HF. 546, μέλλημα IA. 818, λύσσημα Or. 270, ἀπάντημα Or. 514, καλλίστευμα Or. 1639, μήνιμα Ph. 934, εὐτύχημα Ph. 1356, γαύρωμα Tr. 1250, ὄρεγμα Hel. 546.

Omnibus his exemplis probatur tragicos poetas, cum nominibus in μα omnino indulgerent, hanc etiam significatus speciem, quae raro iam antea exstabat, excoluisse frequentiusque adhibuisse. Plane autem novum est neque antea inventum, quod ea quoque nomina, quae a verbis transitivis derivata sunt, active usurpabantur. Apud Aeschylum quidem, qui prima huius usus exempla praebet, pauca admodum leguntur: Pr. 876/7 ἐπώνυμον δὲ τῶν Διὸς γεννημάτων τέξεις κελαινὸν Ἔπαφον; Ag. 1419/20 dicit regina οὐ τοῦτον ἐκ γῆς τῆσδε χρῆν σ' ἀνδρηλατεῖν μιασμάτων ἄποινα; Ag. 1390/1 legimus χαίρουσαν οὐδὲν ἧσσον ἢ διοσδότῳ γάνει σποςητὸς κάλυκος ἐν λοχεύμασιν; Eu. 139 ἕπου, μάραινε δευτέροις διώγμασιν, quo de versu mox pauca erunt dicenda. Euripides autem, qui Aeschyleum sermonem recepit et excoluit, multo saepius talia nomina in μα active usurpabat: μάχῃ κρατήσας ἢ θεᾶς δωρήμασιν HF. 612, μαντεύματα Io. 301, λοχεύματα El. 1124, Su. 1136, ζητήματα Ba. 1218, θωπεύματα Su. 1103,

[1]) De aetate libri B iudicium protulit a Schwartzio quidem improbatum Robert Studien zur Ilias p. 218.

γαυρούμενος δὲ τοῖς ἐμοῖς ἀγρεύμασι κάλει φίλους ἐς δαῖτα Ba. 1241, quod Kummererus l. l. passivum intellexit comparatis *παιδεύματα, λοχεύματα*, aliis, de quibus supra egi; *κουφίσματα* Ph. 848, *κηλήματα* Tr. 893, de quo infra erit dicendum, *διώγματα* An. 992, *καθάρματα* IT. 1316, *σπαράγματα* Ba. 739, *ἀμύγματα* An. 826, *κηδεύματα* Or. 795, *φιλήματα* An. 416, *θεραπεύματα* Ph. 1549, *ἑρμηνεύματα* Ph. 470. Eodem modo legimus apud Chaeremonem fr. 14 *γυμνὴ δ' αἰθέρος θεάμασιν ζῶσαν γραφὴν ἔφαινεν*.

Hic autem usus nominum a transitivis ductorum sincerae tragoediae proprius erat, a Sophocle repudiabatur omnino. Quos autem quis contra attulerit versus OT. 1317/8 *οἷον εἰσέδυ μ' ἅμα κέντρων τε τῶνδ' οἴστρημα καὶ μνήμη κακῶν* et Ph. 267 *πληγέντ' ἐχίδνης ἀγρίῳ χαράγματι*, non quadrant, cum multo melius nomina ea intellegere mihi videar participialia, ita ut sit *κέντρων οἴστρημα* idem quod *κέντρα οἰστρῶντα, χάραγμα* autem non sit morsus, quae adhuc sententia recepta est, sed id, quod mordet, i. e. dens, ita ut legimus Eur. Ph. 1380 *κάπροι δ' ὅπως θήγοντες ἀγρίαν γένυν*.

Omnibus autem eis locis, quos ex Aeschyli et Euripidis fabulis attuli, pluralem exstare non fugerit lectorem. Usurpabatur autem hic numerus, ut significatus illorum nominum quis esset clarior eluceret et differret magis a vi passiva. Aliter igitur atque exemplorum, quae supra tractavi, horum nominum pluralis adhibebatur, certo quidem significatu praeditus. Nullam enim aliam causam huius usus pluralis afferri posse eo maxime probatur, quod ea nomina, quae a verbis intransitivis ducta sunt, singularis vice pluralem non assumebant, quippe quo non egerent. Omnia enim ea nomina, quae supra ab intransitivis ducta attuli, singulariter, non pluraliter usurpabantur. Ne ea quidem, quae a verbis generis medii derivata sunt, pluralis indigebant, velut *πλάνημα, αὔχημα, ἔρεισμα* HF. 109, *ὄρεγμα*, quod legimus Hel. 546 *σὲ τὴν ὄρεγμα δεινὸν ἡμιλλημένην τύμβον 'πὶ κρηπῖδ'*, quocum conferas versum Il. 16, 834 *ποσσὶν ὀρωρέχαται*, alios.

Aliud etiam accedit, quo usus ille pluralis probetur. Eodem enim modo, quo nomina a transitivis ducta pluralem pro singulari non assumebant, si aut significabant concretum illud, quod ipsa actione effectum erat, ut *τέχνασμα, βούλευμα, δώρημα, οἴκημα*, quod ita esse per se apparet, eodem modo, dico, ut ille usus, quem supra dixi, melius eluceret, tum quoque repudiabatur pluralis, cum sensus nominum accedebat ad significatum infinitivi non activi, sed passivi, velut legimus Se. 594 *ταὐτοῦ κυρήσας ἐνδίκως ἀγρεύματος*, ubi recte scholiasta explicavit *οἷον σὺν αὐτοῖς θηραθείς*. Si igitur obiectum, ad quod certa quaedam verbi actio pertinebat, aut appositum erat aut cognosci poterat e verborum conexu, singularis suo loco erat. Huius autem modi nomina legimus praeter illud modo allatum apud Aeschylum Pr. v. 1021 *οὐκ ἔστιν αἴκισμ' οὐδὲ μηχάνημ' ὅτῳ προτρέψεταί με Ζεύς*, i. e. Prometheus *αἰκίζεσθαι* ita non potest, ut . .; apud

Sophoclem inveni Tr. 540 *καὶ νῦν δύ' οὖσαι μίμνομεν μιᾶς ὑπὸ χλαινης ὑπαγκάλισμα*, i. e. *τὸ ὑπαγκαλίζεσθαι ὑπὸ Ἡρακλέους*; OT. 560, Tr. 1213, OC. 325. Euripidea sunt *μελάθρων τάραγμα ταρτάριον* HF. 907, 1091, *Ζηνὸς ἔχεις κυλίκων πλήρωμα* Tr. 824, *θεράπευμα τέκνων* HF. 633, *ἡνίκ' ἂν φοβερὰν φύγῃ | θήραμ' ἔξω φυλακᾶς* Ba. 869, ubi eodem iure, quo Nauckius *θήραν* scripsit, restituere licet *φοβερόν*; alia leguntur Su. 209, HF, 459, 992, Ph. 1743, IA. 1243, Or. 50, 442, Cy. 205. Apud ceteros tragicos inveni Critiae fr. 1, ubi de aurea aetate haec verba fiunt; *ὅτ' οὐδὲν ἆθλον οὔτε τοῖς ἐσθλοῖσιν ἦν, οὔτ' αὖ κόλασμα τοῖς κακοῖς ἐγίγνετο.*

Huic autem regulae usurpati singularis non repugnant versus Hel. 1623 *κεὶ μὲν ἦν ἁλώσιμος ναῦς διώγμασιν*, Eu. 139 *ἕπου, μάραινε δευτέροις διώγμασιν*, quibus, nisi activam intellegis nominum vim, pluralis bene illustratur vero illo plurali, quem legimus IT. 1428 *ὡς ἐκ θαλάσσης ἔκ τε γῆς ἱππεύμασιν | λαβόντες αὐτούς*. Luculenta autem duo exempla, ubi vis activa et passiva iuxta positae sunt diverso numero, invenimus Ai. 631 sqq. *χερόπλακτοι δ' | ἐν στέρνοισι πεσοῦνται | δοῦποι καὶ πολιᾶς ἄμυγμα χαίτας*, ubi metro cogimur mutare bene traditum illud *ἀμύγματα*, et Eur. An. 826 *σπάραγμα κόμας ὀνύχων τε δάϊ' ἀμύγματα θήσομαι*, ubi *κόμη* obiectum, *ὄνυχες* subiectum est.

Cognovimus igitur his quae praecedunt novum usum nominum in *μα*, a tragoedia inventum et excultum, quem num temporum posteriorum scriptores imitari omnino ausi sint, valde dubito. A verbis scilicet transitivis derivata nomina in *μα* active usurpabant tragici eodem significatu, quo illa in *μος*, et ut hunc novum usum ipso numero efferrent, pluralibus tantum eis nominibus utebantur. Illum enim pluralem, ut fere fit[1]) intellegendum non esse verum pluralem, ita scilicet, ut significet genera vel gradus actionis, evidenter probatur numero illo singulari, quem sequebantur nomina, quae ab intransitivis ducta erant.

Iam cum de plurali verba facere instituerim, cetera etiam exempla nominum in *μα* enumerabo, quibus is numerus legitur.

Ac primum quidem pluraliter usurpabantur nomina collectiva, velut *οἰμώγματα, δακρύματα, ὀδύρματα, κωκύματα, ὑλάγματα, θεσπίσματα, βουλεύματα, μαντεύματα, νουθετήματα, φρυάγματα, ποιφύγματα κηρύγματα, στενάγματα, οἰκτίσματα*, alia huius generis, paucis tantum exceptis, ubi certum unum exemplum dicitur, velut Pr. 183 *δεῖξαι τὸ νέον βούλευμ' ἀφ' ὅτου σκῆπτρον τιμάς τ' ἀποσυλᾶται*, OT. 350, Me. 685, Su. 439, al. Deinde pluralis ponebatur singularis loco paucorum nominum ab intransitivis verbis ductorum, quae tamen semper, quo modo explicanda sint, ipsa prae se ferunt, velut legimus Pe. 235 *τῆλε πρὸς δυσμαῖς ἄνακτος Ἡλίου φθινασμάτων*, apud Euripidem ea, quibus actio quaedam continuata vel composita significatur, quae igitur re vera, ut supra iam dixi, pluralia pro singularibus non usurpabantur,

[1]) Cf. Kuehner l. l. II 1, 16.

dico *μηνίματα* Ph. 934, *βακχεύματα* Ba. 40, 317, al., *μελλήματα* IA. 818 *νοσήματα* El. 656 *ἥξει κλύουσα λόχιά μου νοσήματα*, quocum comparavit pluralem *τόκοι* Kummererus, qui plura huius generis attulit, et ea, quae aetatis spatium quoddam significant, ut *κορεύματα* Al. 178, *παρθενεύματα* Ph. 1265, quo de utroque nomine infra disserendum mihi erit. Apud Sophoclem autem, qui omnino pluralem pro singulari positum non tantopere adamabat, verum hunc pluralem esse magis etiam apparet versibus El. 494 *ἄλεκτρ' ἄνυμφα γὰρ ἐπέβα μιαιφόνων γάμων ἁμιλλήμαθ' οἷσιν οὐ θέμις*; An. 864 *ἰὼ ματρῷαι λέκτρων ἆται κοιμήματά τ' αὐτογέννητα*, Tr. 357 *οὐ τἀπὶ Λυδοῖς οὐδ' ὑπ' Ὀμφάλῃ πόνων λατρεύματα*. Eodem modo accipiendum est, quod legimus Ai. 338 *ἀνὴρ ἔοικεν ἢ νοσεῖν ἢ τοῖς πάλαι νοσήμασι ξυνοῦσι λυπεῖσθαι παρών*, quamquam Sophocles ceteris locis singularem *νόσημα*, non pluralem usurpare solebat. Comparari autem possunt cum hoc loco nomina *νοσήματα* et *λυσσήματα*, quae legimus apud Euripidem El. 656, Or. 270, et Atticum illud, de quo supra dixi, *μανίαι*, et praeterea, quod legimus Ai. 59, *φοιτῶντ' ἄνδρα μανιάσιν νόσοις*.

Eorum quoque nominum, quae a verbis transitivis ducta sunt, nonnulla pluraliter usurpabantur, etsi significatus eorum accedebat ad infinitivum passivum. Analogia autem haec omnia facile explicantur, imprimis nominis *γάμοι*, quod est matrimonium. Aeschylus quidem talia plane ignorabat, Sophocles autem scripsit OT. 980 *σὺ δ' εἰς τὰ μητρὸς μὴ φοβοῦ νυμφεύματα*. Euripides et hoc et alia praebet: *παλαιὰ καινῶν λείπεται κηδευμάτων* Me. 76, *νυμφεύματα* El. 1261, IT. 365, IA. 832, An. 20, 193, 987, 1231, Ph. 1204, quibus comparari potest intransitivum illud *εὐνήματα* Io. 304 *ἄπαιδές ἐσμεν, χρόνι' ἔχοντ' εὐνήματα*; denique autem *μνηστεύματα* Hel. 1514 *ἄλλης ἐκπόνει μνηστεύματα γυναικός*, Ph. 580 *ἐρεῖ δὲ δή τις· ὦ κακὰ μνηστεύματα, Ἄδραστε, προσθείς*, quo altero loco *μνηστεύματα* neque est uxor, quem significatum lexica nostra praebent, neque recte nomen explicavit scholiasta annotans *ὦ κακῶς θυγατρὶ μνηστευσάμενος*, quod loci sensui non convenit. Etsi non ignoro *μνηστεύειν* dici posse de uxoris parentibus, qui generum *μνηστεύουσιν*, velut IA. 847, El. 313, hoc loco *μνηστεύματα* simpliciter intellego *γάμους* — neque enim *ἐμνήστευσεν* Adrastus neque Polynices —, ita ut cum hoc versu comparare liceat eos versus, qui leguntur Me. 1354/6 *σὺ δ' οὐκ ἔμελλες τἀμ' ἀτιμάσας λέχη τερπνὸν διάξειν βίοτον ἐγγελῶν ἐμοί, οὐδ' ἡ τύραννος οὐδ' ὁ σοὶ προσθεὶς γάμους Κρέων*.

Iam cognita et statuta regula de usu nominum in *μα* eorumque imprimis numero, quam tragicos poetas in usurpando eo nominum genere secutos esse vidimus, de uno loco disserere pauca mihi liceat, in quo quanta lateret difficultas omnes fugisse videtur. *Παρθένευμα* est virginitas, i. e. id ipsum virginem esse, Io. 1472 *νόθον με παρθένευμ' ἔτικτε σόν*. Pluralem legimus Ph. 1265 *οὐκ ἐν χορείαις οὐδὲ παρθενεύμασιν | νῦν σοι προχωρεῖ δαιμόνων κατάστασις*, ubi eo numero non significantur occupationes

virginis, quae satis significatae sunt vocabulo χορείαις, sed referendum est nomen ad virginis mores vitamque, ut bene scholiasta explicavit οὐκ ἐν αἰσχύνῃ τὰ σά, cf. versus qui sequuntur et IA. 1343 sq. Secundum hos duos locos versus Io. 1425, ubi Creusa textum illud ab Ione monstratum suum esse agnoscit verbis quae sunt

ὦ χρόνιον ἱστῶν παρθένευμα τῶν ἐμῶν

intellegi non potest nisi: „O remotam virginitatem (aetatem virginalem) iugi mei", quae sensu cassa esse non est quod dicam. Quod autem omnes παρθένευμα passive intellexerunt id quod a virgine perfectum est, non recte fecerunt, cum παρθενεύειν non sit verbum transitivum. Eodem modo, ut exemplo utar, δούλευμα non est passive munus, id quod a servo factum est, sed active ipsam serviendi actionem significat. Verba enim, quae in ευω exeunt, aut significant intransitive in aliquo statu esse aliquem, ita ut nomen in μα sit activum, velut κήδευμα, λάτρευμα, alia, aut transitive significant notionem faciendi, ita ut nomina passiva sint, ut χόρευμα, τύρευμα, alia, exceptis eis exemplis, quae significatu activo praedita supra attuli. Sequitur autem, ut παρθένευμα esse non possit opus a virgine perfectum. Omnis autem tollitur loci difficultas, si verbis paulo aliter distinctis legimus παρθενευμάτων ἐμῶν, intellegentes ad χρόνιον ex eis quae praecedunt saepe iam auditum illud nomen ὕφασμα. Coniecturam autem hanc, quam inveni, antea iam a Badhamio factam esse video, qui tamen nimis graviter scripsit χρόνιος ἱστός neque ullam coniecturae suae causam protulit, satis habens mirari neminem alium antea in eam incidisse.

Ut hoc quem tractavi loco et Ph. 1265 legimus pluralem παρθενεύματα, ita exstat Al. 178 κορεύματα, versu a Nauckio[1]) eiecto, quem non pauci usque ad nostram aetatem secuti sunt, dubito an satis temere, qua de causa ea, in quibus offendit vir doctus, hoc loco examinare mihi liceat. Verba autem Alcestidis haec sunt v. v. 177/8:

ὦ λέκτρον, ἔνθα παρθένει' ἔλυσ' ἐγὼ
κορεύματ' ἐκ τοῦδ' ἀνδρός, οὗ θνῄσκω πέρι

quorum versuum alterum propter quattuor causas delevit vir ille doctus. Ac primum quidem, ut a minoribus incipiam, ἐκ recte dictum non esse censuit post verbum ἔλυσα activum. Contra hanc autem sententiam monendum est loci sensum esse passivum, ita ut causa non sit cur offendamus in illa praepositione, cf. e. g. Soph. Tr. 1133 πρὶν ὡς χρῆν σφ' ἐξ ἐμῆς θανεῖν χερός, al. Deinde suspectum esse dixit pronomen τοῦδε, quod maritus ipse in scaena non esset. Differentia autem illa principalis, quae est inter οὗτος et ὅδε, non hoc uno loco neglecta est, cum e. g. Soph. El. 908 dicatur cirrus ille τόδ' ἀγλάισμα, qui tamen a Chrysothemide in scaenam allatus non est, et idem cirrus vocetur ταῦτα τἀπιτύμβια 915. Tum περί

[1]) Studia Euripidea II p. 53.

cum verbo *θνήσκω* coniunctum dubitationem movit Nauckio, quod iam ante eum Valkenaerius ad Ph. 1336 (apud Wecklinium 1326) *εἰς ἀσπίδ' ἥξειν βασιλικῶν δόμων ὑπέρ* mutandum esse contendit in *οὗ θνήσκω γ' ὑπέρ*. Ut autem hoc Phoenissarum loco communem usum secutus melius *περί* scripsisset, sic eo quem nos tractamus versu *περί* pro *ὑπέρ* usurpare sibi sumpsit poeta [1]). Ceterum earum praepositionum non raro altera alterius locum occupabat, velut Il. 6, 524 *ὑπὲρ σέθεν αἴσχε' ἀκούω* et in noto illo Tyrtaei versu, qui est *θυμῷ γὰρ περὶ τῆσδε μαχώμεθα καὶ περὶ παίδων θνήσκωμεν* [2]). Omnia autem haec minora tantum videbantur Nauckio et uni illi accedentia, quod ei maximum erat, nobis omnino nihili esse videbitur, tautologiae scilicet verborum *παρθένεια κορεύματα*, quorum similia exstare quo modo negare potuerit non intellego. Licet enim Hel. 167 sqq. *πτεροφόροι νεάνιδες | παρθένοι Χθονὸς κόραι | Σειρῆνες* recte *κόραι* intellegantur filiae, ita ut tautologia non sit, tamen legitur Ph. 1730 *παρθένου κόρας αἴνιγμ' ἀσύνετον εὑρών* et Th. 1136 in cantico *Παλλάδα τὴν φιλόχορον ἐμοί | δεῦρο καλεῖν νόμος ἐς χορόν | παρθένον ἄζυγα κούρην*. Plane autem eadem tautologia est, si a comicis, quibus *παῖς* feminini generis erat *κόρη*, coniungebantur nomina *παῖς* et *κόρη*, velut Ly. 595 legimus *ταχὺ παῖδα κόρην γεγάμηκεν*.

Haec sunt, in quibus offendit Nauckius, nimis subtili sensui suo, ut saepe, deditus. Ipsum autem nomen *κορεύματα* Euripidei sermonis naturam adeo prae se fert, ut versum illum, offensis nimis levibus perpensis et ad nihilum reductis, iam locum suum obtenturum esse integrum sperem. Cum sensu autem eius loci qui comparentur non omiserim afferre versus Tr. 500/1 *ὦ τέκνον, ὦ σύμβακχε Κασάνδρα θεοῖς, οἵαις ἔλυσας συμφοραῖς ἄγνευμα σόν*.

Iam ut usum activum nominum in *μα* Aristophaneum exponamus restat, de quo pauca omnino dici possunt. Ut non apud Homerum neque apud Sophoclem, ita ne apud comicos quidem nomina a transitivis derivata vim activam assumebant. Nullum eius usus exstat exemplum, nisi quod Arist. fr. 868 glossa *τάρσωμα* servata est, quam Photius explicavit verbo *κωπηλασίη*. Hic autem significatus vocis illius tum tantum ferri posset, si *ταρσοῦν* esset „navem remis propellere" [3]), cuius tamen significatus desunt exempla. Suspecta etiam fit haec explicatio eo, quod singularem dedit Photius, cum pluralem exspectemus. Ne altera quidem via, qua quis hanc glossam intellegi posse putaverit, recta est. Fieri non potest, ut *τάρσωμα* sit *τὸ ταρσοῦν*, id quod propellit, cum hic significatus non legatur, neque *κωπηλασίη* ut *εἰρεσία* (Polyb. 1, 21, 2. *καθίσαντες ἐπὶ τῶν εἰρεσιῶν ἐν τῇ χέρσῳ*)

---

[1]) E. Schwartz suam coniecturam οὗ θνήσκω μόρῳ mecum communicavit.

[2]) Bergk P. L. G. II 10, 13; cf. Kuehner l. l. II 1, 487.

[3]) Non dico „remigare", quod ταρσοῦν intransitivum esse non potest.

de ipsis remis dici possit, cum *κωπηλατεῖν* verbum sit intransitivum semper, excepto uno Cy. versu 461 *τρύπανον κωπηλατεῖ*. Accedit quod *κωπηλασίη* non de remis, sed de remigibus tantum dici posset. His de causis non dubito, quin Photius erraverit in explicanda hac glossa, et *τάρσωμα*, quod tragicum esse apparet litteris *ρσ*, dictum sit pro *ταρρός*, ut *πέπλωμα* pro *πέπλος* Ach. 426, *ῥάκωμα* pro *ῥάκος* Ach. 432, al.

Nomina in *μα* a transitivis derivata active usurpata non esse demonstravi. Ne intransitiva quidem frequentia sunt. Ut enim comoedia pro *χάρμα* dicebat *χαρά*, al., sic etiam verbalia vitare solebat quocumque poterat modo. In trimetris inveni nulla nisi Nu. 166 *ὢ τρισμακάριος τοῦ διεντερεύματος*, *νόσημα* Ly. 1085, Th. 1116, Pl. 667, 708, quorum tamen priora tria singulariter et elate dicta sunt, cum ceteris duobus probetur Aristophanem paulatim alieni sermonis propria fecisse sua[1]). In canticis autem paratragoedica haud ita pauca leguntur, velut *δίνευμα* Th. 122, *ἵππευμα* Th. 1066, *πάλαισμα* Ra. 689, 878, al. In fragmentis ceterorum servatae sunt glossae *δραπέτευμα* Dioclis fr. 12 et *ἧσθημα* Eupolidis fr. 131, de quibus tamen dici nihil potest, cum quo loco et qua ratione usurpata sint ignoremus.

Haec sunt, quae dicenda habeo de activo significatu nominum in *μα* apud tragicos et comicos, quorum utrorumque sermonis proprietates satis apertas esse spero.

Priusquam autem accedo ad tractandam vim illam tertiam nominum in *μα* formatorum, dico metonymia effectam, quam brevitatis causa participialem vocabo, hoc loco descriptioni nominum vi activa praeditorum adiuncta pauca proferam, quae de vocabulo quodam, quod adhuc recte intellectum non esse videtur, cognovi.

Τὸ θάκημα est *τὸ θακεῖν*, imprimis dictum de supplicibus ad aram sedentibus, OC. 1160 *ποδαπόν, τί προσχρῄζοντα τῷ θακήματι*, 1179, qui idem significatus accipiendus est versu OC. 1380 *τοιγὰρ τὸ σὸν θάκημα καὶ τοὺς σοὺς θρόνους κρατοῦσιν*, ubi Ellendtius ipsam sedem intellegere maluit. Versu autem Io. 492 *ὦ Πανὸς θακήματα καὶ | παραυλίζουσα πέτρα | μυχώδεσι Μακραῖς* sedes significatur voce *θακήματα*, qui significatus ita efficitur, ut eodem modo, quo in exemplis supra allatis, numero plurali significetur locus, quo ea actio perficitur, quae verbo continetur. Passive enim, quod ad versum etiam illum OC. 1380 spectat, nomen intellegi non potest, cum *θακεῖν* verbum transitivum non esse supra p. 48 demonstraverim. Eodem autem modo quo *θακήματα* interpretor nomen, de quo iam acturus sum, *ἱδρύματα*. Ba. 951 monet Bacchus Pentheum furentem:

μή σύ γε τὰ Νυμφῶν διολέσῃς ἱδρύματα
καὶ Πανὸς ἕδρας, ἔνθ' ἔχει συρίγματα.

---

[1]) Euripideae dictionis vestigia in Pl. fabula inventa supra iam p. 31 attuli pauca.

Hoc loco *ἱδρύματα* non esse imagines, quae est sententia non paucorum, probatur verbis quae sequuntur *Πανὸς ἕδρας*, cf. Ionis versum 492 modo tractatum. Templum autem nympharum non exstitit neque de ullo alio aedificio in honorem earum exstructo [1]) cogitare licet, quod eodem versu insequenti probatur, ita ut nomen passive intellegi omnino non possit. Specus accipiendus est natura factus [2]), locus, quo nymphae versari solent quoque coluntur [3]). Verbum autem *ἱδρύεσθαι* pro eo quod est versari legitur Soph. Tr. 68 *καὶ ποῦ κλύεις νιν, τέκνον, ἱδρῦσθαι χθονός* aliisque locis.

Hoc Baccharum loco certum significatum eruisse mihi videor; eadem ratione agam in tractandis locis Aeschyleis. Hic enim tribus locis scripsit *θεῶν ἱδρύματα*, quorum Ag. 351

εἰ δ' εὖ σέβουσι τοὺς πολισσούχους θεοὺς
τοὺς τῆς ἁλούσης γῆς θεῶν θ' ἱδρύματα

et ibidem 532

βωμοὶ δ' ἄιστοι καὶ θεῶν ἱδρύματα

templum, aedificium intellegunt editores et critici, Pe. autem 813

βωμοὶ δ' ἄιστοι, δαιμόνων θ' ἱδρύματα
πρόρριζα φύρδην ἐξανέστραπται βάθρων

imagines, semper igitur sensu passivo. Quaerere autem licet, utrum his tribus locis aedes tantum aut imagines intellegere debeamus, an melius de toto templo (*τέμενος*) cogitemus, in quo habitare dei putabantur, in quo tamen primis temporibus neque aedificium neque simulacrum erat, velut Soph. Tr. 237/8 legimus *ἀκτή τις ἔστ' Εὐβοιίς, ἔνθ' ὁρίζεται βωμοὺς τέλη τ' ἔγκαρπα Κηναίῳ Διί*; Θ 48 *Γάργαρον· ἔνθα δέ οἱ τέμενος βωμός τε θυήεις* [4]). Haec mea interpretandi ratio nulla prorsus re impugnatur, defenditur autem compluribus. Ac primum quidem moneo eodem modo, quo *θακήματα* illud supra tractatum, omnibus quattuor locis quos attuli *ἱδρύματα* genetivum sibi adiunxisse. Ubi autem nomen illud passivum est, huius modi genetivus semper deest, ita ut *ἵδρυμα θεοῦ* pro templo aut imagine dei nullo eorum locorum, quos inspicere mihi licuit, invenerim. Genetivus enim passivis in *μα* additus subiectum vel possessorem ita tantum significare solet, ut idem significet auctorem (*ὑπό*), velut Hel. 242 *Διὸς ὑπαγκάλισμα σεμνὸν Ἥρα*, Ph. 808 *λόχευμα Ἰοκάστης*

---

1) De nymphaeis egit Maass Die tagesgoetter p. 46 sqq.

2) Cf. Roscher Mythol. Lex. III 1, 510.

3) Quomodo Fixius, qui „loca" vertit, ad id pervenerit nescio.

4) Cf. Callim. 3, 37/8 *καὶ ἐν πάσῃσιν ἔσονται Ἀρτέμιδος βωμοί τε καὶ ἄλσεα*. Herod. 1, 131 dicit de Persis: *ἀγάλματα μὲν καὶ νηοὺς καὶ βωμοὺς οὐκ ἐν νόμῳ ποιευμένους ἱδρύεσθαι* . . ., *ὡς μὲν ἐμοὶ δοκεῖν, ὅτι οὐκ ἀνθρωποφυέας ἐνόμισαν τοὺς θεοὺς κατάπερ οἱ Ἕλληνες εἶναι*. Tac. Germ. 9: ceterum nec cohibere parietibus deos neque in ullam humani oris speciem adsimulare ex magnitudine caelestium arbitrantur: lucos et nemora consecrant. Cf. ea quae infra s. v. *ἄγαλμα* dicam.

aliisque locis permultis. Cum tali autem genetivo coniunctum legimus ἵδρυμα e. g. Plut. Marc. 20 ἵδρυμα Κρητῶν λέγεται εἶναι τὸ ἱερόν, Strabo 6, 1 Ἥρας ἱερόν, Ἰάσονος ἵδρυμα. Genetivum igitur ἵδρυμα assumere non videmus nisi auctoris, alius autem modi genetivum prorsus repudiatum esse his exemplis cognoscimus: Ch. 1034 προσίξομαι μεσόμφαλόν θ' ἵδρυμα, Λοξίου πέδον . .; Plut. de fort. Rom. 322 F μᾶλλον δὲ τὰς Ῥωμαικὰς ἐάσας ὀνομασίας Ἑλληνιστὶ τὰς δυνάμεις τῶν ἱδρυμάτων πειράσομαι καταριθμήσασθαι· καὶ γὰρ ἰδίας Τύχης ἱερόν ἐστιν ἐν Παλατίῳ. Apud Dionysium arch. 1, 67 sine genetivo legimus ὡς τῶν ἱδρυμάτων μετακομισθέντων εἰς τοῦτον τὸν μυχόν, ubi imaginis significatus certus est. Ille enim locus, qui invenitur Plat. leg. 11, 931 a πατὴρ οὖν ὅτῳ καὶ μήτηρ ἢ τούτων πατέρες ἢ μητέρες ἐν οἰκίᾳ κεῖνται, κειμήλιοι ἀπειρηκότες γήρᾳ, μηδεὶς διανοηθήτω ποτὲ ἄγαλμα αὐτῷ, τοιοῦτον ἐφέστιον ἵδρυμα ἐν οἰκίᾳ ἔχων, μᾶλλον κύριον ἔσεσθαι, ἐὰν δὴ κατὰ τρόπον γε ὀρθῶς αὐτὸ θεραπεύῃ ὁ κεκτημένος, nihil pertinet ad nostram rem, ubi, qui suis sensibus usus erit, ne imaginem intellegat ἵδρυμα, non metuo; cf. versum Eur. Su. 631, de quo mox agam. Unicus autem locus, quem quis contra hanc regulam usurpati genetivi attulerit, exstat apud eundem Platonem leg. 4, 717 b, ubi de ordine, quo dei colendi sunt, haec verba fiunt: ἐπακολουθοῖ δ' αὐτοῖς (heroibus scilicet) ἱδρύματα ἴδια πατρῴων θεῶν κατὰ νόμον ὀργιαζόμενα; moneo tamen ἱδρύματα illa ipsas imagines esse nullo modo constare, neque ea verba meae interpretationi repugnare. Iure igitur Aeschyli locis quos tracto ἱδρύματα θεῶν, cum θεῶν genetivum auctoris putare non liceat, intellegemus loca, quibus versantur dei, ita ut ἱδρύματα tragicum nomen sit pro τέμενος[1]). Altera autem res, qua ad hanc meam sententiam perductus sum, haec est. Nomen ἵδρυμα ante Aeschyli aetatem non invenitur, idem deest apud Sophoclem et Aristophanem, quamquam et hic et ceteri omnes ἱδρύειν θεόν, βωμόν, ἱερόν, sim., saepe dicebant, velut Arist. fr. 245, Pa. 923, Pl. 1191. Apparet igitur, quamquam verbum ἱδρύειν frequentissimum erat, substantivum ἵδρυμα passivum in sollemni usu omnino non fuisse; significatum autem, quem equidem statui locis quos tracto, a sermone naturali alienum, artificiosi autem proprium esse supra ostendi p. p. 33/34. Tertio denique loco ad fulciendam meam sententiam moneo Hesychium ἱδρύματα explicasse nomine καθίσματα. Hunc autem significatum, si modo καθίσματα recte intellego activum, ex illis quos tractavi quattuor locis sumptum esse facile concedet, qui meam interpretationem probaverit.

Transeo denique ad describendam tertiam vim, qua nomina in μα instructa sunt, quae neque a veteribus neque a nostris grammaticis satis observata esse

---

[1]) Fieri potest, ut θεῶν ἱδρύματα intellegantur οἱ θεοὶ οἱ ἱδρυθέντες, sed tum exsisteret Ag. illo versu 351 tautologia, ceteris incongruentia. Homeri et Callimachi quos attuli versibus probatur ἱδρύματα tragicum esse pro epico τέμενος, ἄλσος.

videtur. Metonymia illa, qua ea vis efficiebatur, cum scilicet abstractum occuparet locum concreti, inveterata et cursu temporis ita propagata erat, ut a tragicis quodvis nomen eo significatu instrui posset. Tenendum tamen est vim illam participialem, quae efficitur, semper temporis praesentis esse; *πέσημα* et *βλάστημα* ad vim passivam magis accedere supra p. 51 ostendi. Ut autem genere neutro postulabatur, initio haec nomina usurpabantur de instrumentis vel rebus, non de hominibus. Eius modi apud Homerum haec inveniuntur: *ἄγαλμα* ϑ 509, de cuius significatu mox dicam aeque ac de eo quod est *ἄϑυρμα* σ 323, *ἄκεσμα* O 394, *δήλημα* μ 286, *εἴλυμα* ζ 179, *ἔρυμα* Δ 137, *ἔρισμα* Δ 38, *κάλυμμα* Ω 93, *μείλιγμα* κ 217. Apud Pindarum pauciora leguntur: *ἄγαλμα* N. 3, 13; *ἄϑυρμα* P. 5, 23; *ἄκεσμα* P. 5, 64; *ὄχημα* fr. 106, *στεφάνωμα* P. 1, 50. Tragicorum autem tam propria sunt haec nomina, ut fatigarem legentes, si omnia enumerarem, qua de causa selecta tantum, quibus aliquid novi discatur, hoc loco commemorabo. Ut omnino nomina, quibus instrumenta significantur, ita passiva etiam in *μα* et participialia pluraliter ponere solebant poetae tragici. Aeschylea autem sunt Pe. 610 *τοιγὰρ κέλευϑον τήνδ' ἄνευ τ' ὀχημάτων χλιδῆς τε τῆς πάροιϑεν ἐκ δόμων πάλιν ἔστειλα*, Ag. 1032 *ἀγρεύματα*, Ch. 492 *καλύμματα*, Ag. 1177; apud Euripidem leguntur *ὀχήματα* IA. 610, Ph. 44, *ἀγάλματα* Hi. 116, *καλύμματα* IT. 372; *βακτρεύματα* autem Ph. 1539 passivum est, ut *τύρευμα*, *χόρευμα*, alia, neque recte, grammatice quidem, ab Hesychio explicatum est nomine *ἐρείσματα*. Omnia autem haec nomina eandem admittunt explicationem, quam ea quae supra attuli. Apud Sophoclem legi El. 740 *ὀχήματα* de uno curru dictum, Ai. 245 et Tr. 1078 *καλύμματα*, quos plurales imitatione Euripidis effectos esse infra demonstrabo.

De hominibus autem haec nomina ante tragicorum aetatem tralate tantum usurpabantur, nusquam de ipsis personarum nominibus. Homerus eius generis habet *μήνιμα*, X 358 *φράζεο νῦν, μή τοί τι ϑεῶν μήνιμα γένωμαι*, quod est „ne causa deorum irae fiam". Plura leguntur apud Pindarum, a quo O. 2, 8 Thero vocatur *ἔρεισμα Ἀκράγαντος*, P. 9, 4 Telesicrates *διωξίππου στεφάνωμα Κυράνας*, P. 10, 59 iuvenis dicitur *παρϑένοισι μέλημα*. Tragoedia autem causis eis, quas in fine primi capitis exposui, haec nomina de ipsis hominibus usurpare poterat neque parce hac facultate sua utebatur. *Κήδευμα* Or. 477, *δούλευμα* Soph. An. 756, *συγκοίμημα* Eur. An. 1273, *λάτρευμα* Tr. 1106, *ἀγεμόνευμα* Ph. 1492, *μίασμα* Ch. 1026, *οἰκούρημα* Or. 928, *λάλημα* An. 937, *ὕβρισμα* HF. 181 pauca e multis sunt, quae omnia afferre longum est. Quamvis autem sit magna in hoc usu licentia, observari tamen potest eodem modo, quo quae supra tractavi neutra et communia de liberis tantum usurpabantur, hic, ubi propinquitas quaedam aut condicio significanda est, ut est natura neutri, nomina pro patre, matre aut marito non minus quam pro rege, duce aut omnino homine superioris cuiusdam condicionis deesse. Ne

κήδευμα quidem vocatur nisi minor natu a maiore, ut Or. 477 Menelaus a Tyndareo, OT. 85 ab Oedipode Creo. Qua de causa factum est, ut Sophocles his nominibus, exceptis illo κήδευμα et An. 1115 cantici versu πολυώνυμε, Καδμείας νύμφας ἄγαλμα, collectivo tantum sensu, ut στράτευμα El. 695, al., aut contumelioso et despecto uteretur, cuius generis legimus An. 320 οἴμ' ὡς λάλημα δῆλον ἐκπεφυκὸς εἶ, An. 756 δούλευμα, Ph. 928 ὦ πῦρ σὺ καὶ πᾶν δεῖμα καὶ πανουργίας πάσης τέχνημ' ἔχθιστον[1]), Ai. 381 τέκνον Λαρτίου κακοπινέστατόν τ' ἄλημα στρατοῦ, ibidem 390 ἐχθρὸν ἄλημα, quod nomen non pauci acceperunt passivum ab ἀλέω ductum, ut esset idem, quod κῦρμα, τρῖμμα Av. 431 et παιπάλη Nu. 260 de homine callido dictum[2]). Sed haec quaestio certe diiudicari non potest. Ulixem autem non melius τὸ ἠλημένον dici puto quam τὸν ἀλώμενον, nullo tamen habito respectu facinoris illius, quod Homerus Od. 4, 244 enarravit.

Eadem plane ratio, ut haec strictim addam, valet in passivis nominibus in μα, quae de hominibus usurpabantur. Γέννημα, παίδευμα, λόχευμα nusquam pro participio patrem vel matrem significant, sed semper passive natum vel natam, velut OT. 1167 τῶν Λαΐου τοίνυν τις ἦν γεννημάτων, IA. 285, El. 887, eodem modo, quo νύμφευμα, ὑπαγκάλισμα nusquam maritus, semper uxor est, Hel. 242, Tr. 420, Soph. An. 650, Eur. Tr. 757 νέον ὑπαγκάλισμα μητρὶ φίλτατον filius, quem mater amplectebatur.

Inter nomina participialia, quae supra attuli, locum ἄγαλμα etiam habet, quod si participiale intellego, adversarios habeo et veteres et nostros grammaticos criticosque, qui quidem de eo verba fecerunt. Sollemnis enim interpretatio, quam, ut unum nominem, scholiasta ad Th. 773 praebet, est πᾶν ἐφ' ᾧ τις ἀγάλλεται, cui grammaticus ad γ 274 addidit καὶ οὐ τὸ ξόανον et Hesychius οὐχ ὡς ἡ συνήθεια τὸ ξόανον. Hanc explicationem nostrae etiam aetatis viri docti suam fecerunt[3]). Omnes autem, et hos et illos, erravisse non dubito contendere, cum, praeterquam quod talis explicandi modus e natura nominum in μα colligi omnino non potest, non audeam putare a poeta dicta esse terram (Hel. 206), forum (Eur. El. 388), nuptias (Hel. 1433) ἀγάλλεσθαι. Significatus autem participialis, quem equidem statuo, non tam scilicet πᾶν ἐφ' ᾧ τις ἀγάλλεται quam πᾶν ὃ ἀγάλλει τινά, ne uno quidem exemplo refutatur, neque scio an simile quid senserit scholiasta ille, qui ad verba quae leguntur Ag. 740 ἄγαλμα πλούτου annotavit οὐ γὰρ ἦν δυσειδὴς ὥστε τὸν πλοῦτον αἰσχύνειν, i. e. εὐειδὴς ἦν ὥστε τὸν πλοῦτον ἀγάλλειν. Ut autem haec sententia mea probetur, breviter perlustremus exempla, quae exstant nominis ἄγαλμα. Homerus quidem,

[1]) Cf. de hoc nomine Wilamowitz ad HF. 181, quod Jebb ad l. passivum intellegere maluit.

[2]) Testimonia collegit Ellendtius s. v.

[3]) E. g., ut gravissimos nominem, Kaibel ad El. 211, Wilamowitz ad HF. 49.

qui medium tantum ἀγάλλεσθαι novit, unde explicationem illam nominis ductam, esse, credo, illud in Iliade non usurpavit nisi Δ 144 παρήιον ἔμμεναι ἵππων . . . βασιλῆι δὲ κεῖται ἄγαλμα, in Odyssea autem septem praebet exempla similis significatus, cum tamen nullo loco ἄγαλμα sit deorum simulacrum. Principali deinde vi factum est, ut apud tragicos poetas esset ἄγαλμα ornamentum e. g. capilli Eur. El. 871 κόμης ἀγάλματ᾽ ἐξενέγκωμαι, φίλαι, similiter 873; nuptiarum Hel. 1433 φέρειν γάμων ἀγάλματ᾽ οἴκους εἰς ἐμούς; πόνος esset ἄγαλμα urbis alicuius Su. 373, similiter HF. 358. Ara autem certaminis memoriam revocat HF. 49; δρόμος ornat virum HF. 425; gloria patris ἄγαλμα est liberorum Soph. An. 704. De hominibus etiam usurpabatur ἄγαλμα. Liberi sunt ἄγαλμα domus Ag. 218, viri patriae Hel. 206; filiae sunt Νηρέως ἀγ᾽λματα IT. 273, desides, qui in foro versantur, sunt eius ἀγάλματα El. 388, quem locum imitatus est Metagenes comicus fr. 10 Lyconem illum ἀγορᾶς ἄγαλμα vocans. Sollemnis autem et frequens est significatus deorum simulacri, velut Se. 244, 251, OT. 1379, IT. 87, 1316, Hi. 116 aliisque locis permultis. Ἄγαλμα enim id est, quod magis quam templum et aliae res sacrae deum honorat et ornat. Simile autem dei, qui eo ornabatur, ἄγαλμα esse neque debuit neque potuit, cum primis illis temporibus certum exemplum deorum faciei et figurae constitutum omnino non esset, ita ut idolum illud, de quo agitur in IT. fabula, Dianae ἄγαλμα esset [1]). Homines autem similes effingere studebant artifices, qua de causa eorum imagines vocabantur εἰκόνες. Postea autem, cum certa imago unius cuiusque deorum concepta esset, omnesque eam imaginem sequerentur, ita ut ipsa ἀγάλματα similia esse inciperent, factum est, ut significatus principalis nominum ἄγαλμα et εἰκών oblitteraretur et utrumque de deorum hominumque simulacris promiscue usurparetur, qua in re semper tamen tenendum est ἀγάλματα magis ad honorandos homines facta esse [2]), εἰκόνας ad similitudinem exprimendam. Ut ἄγαλμα fit εἰκών, sic εἰκών fit ἄγαλμα. Huius usus exemplum praebet Euripides, qui fr. 125 dicit παρθένου δ᾽ εἰκώ τινα . . . σοφῆς ἄγαλμα χειρός (vidit scilicet Perseus), i. e. vidit simulacrum virginis et quidem bonum, quo peritia artificis probatur. Eodem modo Plato vocat deorum simulacra εἰκόνας, quae ponuntur εἰς τὸ ἀγάλλειν θεούς, leg. 11, 931 a τοὺς μὲν γὰρ τῶν θεῶν ὁρῶντες σαφῶς τιμῶμεν, τῶν δ᾽ εἰκόνας ἀγάλματα ἱδρυσάμενοι, οὓς ἡμῖν ἀγάλλουσι καίπερ ἀψύχους ὄντας ἐκείνους ἡγούμεθα τοὺς ἐμψύχους θεοὺς πολλὴν διὰ ταῦτ᾽ εὔνοιαν καὶ χάριν ἔχειν. Primus autem, quantum video, Pindarus in celeberrimo illo exordio carminis N. 5 ἀνδριάντας vocavit ἀγάλματα. Hominum autem ἄγαλμα spectare praecipue ad pulchritudinem, non ad similitudinem, optime probatur locis, velut Hec. 560,

[1]) Cf. Herodoti et Taciti locos, quos s. v. ἱδρύματα attuli. Apud Homerum nomina, quae deorum simulacra significant, omnino rara sunt.

[2]) Ita ut nostrum denkmal.

ubi de Polyxena dicitur *μαστούς τ' ἔδειξε στέρνα θ' ὡς ἀγάλματος κάλλιστα*, Hi. 631, Ph. 220. Cum deinde nomen *ἄγαλμα* vim *εἰκόνος* usurparet, fieri potuit, ut Euripides Hel. 705, 1219 falsam illam imaginem Helenae *νεφέλης ἄγαλμα* diceret, et Tr. 193 Hecuba ipsa se *νεκύων ἀμεμηνὸν ἄγαλμα* vocaret loco Homerici illius *εἴδωλον*. Cognito autem significatu principali non mirabimur ipsam picturam *ἄγαλμα* dictam esse Hel. 262 *εἴθ' ἐξαλειφθεῖσ' ὡς ἄγαλμ' αὖθις πάλιν αἴσχιον εἶδος ἀντὶ τοῦ καλοῦ ἔλαβον*.

Omnis autem liber hic usus nominis *ἄγαλμα*, quem inde ab Homeri aetate invenimus, exeunte saeculo quinto tragoediae proprius erat. Sermo cotidianus *ἄγαλμα* nisi pro deorum simulacro ignorabat. Exceptis enim versibus Ve. 314 *ἀνόνητον ἄρ' ὦ θυλάκιον σ' εἶχον ἄγαλμα* et Arist. fr. 594 *καὶ κύων ἀκράχολος Ἑκάτης ἄγαλμα φωσφόρον γενήσομαι* [1]), qui duo loci paratragoedici sunt, Aristophanes alio sensu *ἄγαλμα* non usurpavit, cf. Nu. 306, 995, Th. 773, Ec. 780. Non aliter res se habet apud Sophoclem, quem nomina in *μα* de hominibus bono sensu non usurpasse p. 62 dixi. In An. tantum, 704 et 1115, liberum usum invenimus, cum OT. 1379 poeta suae aetatis consuetudinem secutus sit.

Haec de nomine *ἄγαλμα* copiosius disserui, ut uno fuse tractato omnium usus magis eluceret. Pauca autem his addenda sunt.

Eodem modo, quo *ἄγαλμα* participiale esse demonstravi, interpretanda sunt cum multa alia nomina tum nonnulla commemoratu imprimis digna, quorum vis est causativa, ita ut significent id, quod facit, ut actio, quae inest in verbo, perficiatur, velut *φόβημα* est res aut homo, qui *φόβον* alicuius movet. Apud Homerum legimus huius generis σ 323 *παῖδα δὲ ὣς ἀτίταλλε, δίδου δ' ἄρ' ἀθύρματα θυμῷ*, Δ 38 *σοὶ καὶ ἐμοὶ μέγ' ἔρισμα μετ' ἀμφοτέροισι γένηται*, X 358 *μήνιμα*, quae intellegi non possunt nisi instrumentum, quod alicui est ludo, causa controversiae, irae. Pindarus etiam scripsit P. 5, 23 *ἄθυρμα* eodem sensu. Ut autem apud Sophoclem OC. 699 *φύτευμ' ἀγήρατον αὐτόποιον, | ἐγχέων φόβημα δαΐων* id est, quo metus elicitur, sic est *αὔχημα* OC, 709, Eur. Ph. 1137 id, quod gloriationem movet. Eodem plane modo accipienda sunt *χλίδημα* IA. 74 *χρυσῷ τε λαμπρός, βαρβάρῳ χλιδήματι*, cf. Tr. 991, *τρύφημα* IA. 1050, Arist. fr. 320, Polyzeli fr. 11 *χρυσοῦν ἔχων χλίδωνα καὶ τρυφήματα*, *στέργημα* Soph. Tr. 1138 *στέργημα γὰρ δοκοῦσα προσβαλεῖν σέθεν*, *ἀγώνισμα* Ra. 284 *λαβεῖν τ' ἀγώνισμ' ἄξιόν τι τῆς ὁδοῦ*. Ut enim *ἀγωνίζεσθαι* est „sibi certamen facere", sic est *ἀγωνίζειν*, quod quominus formemus nulla re impedimur, „alii cuidam certamen facere", eodem modo quo distinguebant Graeci inter *εἰρήνην*, *πόλεμον ποιεῖν* et *ποιεῖσθαι*, Est igitur *ἀγώνισμα* idem quod *τὸ ἀγωνίζον*, *τὸ ἀγῶνα ποιοῦν*, certaminis causa et praemium, quem eundem significatum habemus noto illo Thucydidis loco, qui est *ἀγώνισμα ἐς τὸ παραχρῆμα ἀκούειν*.

---

[1]) Cf. Eur. fr. 968.

Apud Euripidem El. 987 *πικρὸν δ' οὐχ ἡδὺ τἀγώνισμά μοι* sensus esse potest, quem dico activum, derivatus a medio *ἀγωνίζεσθαι*, sed eodem iure *ἀγώνισμα* passivum intellegere licet, ductum ab activo *ἀγωνίζειν*, ut *τόρευμα, χόρευμα*, al. Quo autem modo intellegendi sint versus Eur. Ph. 1354/5

πῶς καὶ πέπρακται διπτύχων παίδων φόνος
ἀρᾶς τ' ἀγώνισμ' Οἰδίπου; σήμαινέ μοι

adhuc non convenit inter viros doctos. Quae a scholiastis praebentur *κατάραμα, τὸ ἀποτέλεσμα τῆς ἀρᾶς, τὸ κατόρθωμα τῆς ἀρᾶς*, quorum singula singuli receperunt, in verbis traditis omnino non insunt. Ne interpretatio quidem quae est *ὁ ἐκ τῆς ἀρᾶς πόλεμος* facile e verbis traditis colligitur, neque interpretari audeo *ἀγωνίζεσθαι* ipsam *τὴν ἀράν*. Dubitari non posse mihi videtur, quin *ἀρᾶς ἀγώνισμα* accipiendum sit *τὸ τῆς ἀρᾶς ἀγωνίζον*, i. e. *ἡ ἀρὰ ἡ ἀγωνίζουσα*, dira scilicet, qua filiis certamen motum est.

Haec autem ea sunt, quae in universum de usu nominum in *μα* participiali apud poetas tragicos proferre volui. Iam nonnullos locos copiosius tractare mihi liceat, quibus illum significatum aut restituendum aut agnoscendum esse mihi persuasi.

Offendo in verbis Atossae reginae, quae leguntur Pe. 173/5

σύμβουλοι λόγου
τοῦδέ μοι γένεσθε, Πέρσαι, γηραλέα πιστώματα·
πάντα γὰρ τὰ κέδν' ἐν ὑμῖν ἐστί μοι βουλεύματα,

neque dubito, quin hunc locum correcturus sim nomine substituto significatus participialis. *Πιστώματα* enim e natura sua passivum tantum esse potest, velut *πλήρωμα, ἀξίωμα, ἀνάλωμα, πύργωμα, κύκλωμα, χείρωμα*, al., cum verba in *οω* exeuntia imprimis habeant significatum faciendi, ita ut nomina in *ωμα* semper fere sint passiva. Nullo autem usquam loco huius modi nomen in *ωμα* de hominibus dictum est, ita ut e. g. *δούλωμα, κήδωμα* non dixerint Graeci. His de causis analogia ductus nominum, quae sunt *δούλευμα, λάτρευμα, κήδευμα*, propono legere *πιστεύματα*, i. e. *οἱ πιστοὶ ὄντες*, quae coniectura ad loci sensum optime respondeat et simili sonitu illo verborum *πιστεύματα* et *βουλεύματα* maxime commendetur. In voce autem *πίστευμα*, quod est *τὸ πιστὸν εἶναι*, non est cur quis offendat, cum legatur apud eundem Aeschylum Ag. 868/9 *ἐκ τῶνδέ τοι παῖς ἐνθάδ' οὐ παραστατεῖ ἐμῶν τε καὶ σῶν κύριος πιστευμάτων*, ubi, quam omnes receperunt coniecturam *πιστωμάτων*, superfluam plane esse cognoscet, qui altius rem perspexerit. Quid? nonne *πίστευμα* esse potest *τὸ πιστὸν εἶναι*, cum apud Euripidem El. 256, Tr. 501 *ἅγνευμα* sit *τὸ ἁγνὸν εἶναι*? Hoc autem Agamemnonis loco *πίστευμα* neque est res credita, qui unicus nominis significatus qui ferri posset Hermanno videbatur, neque est fidei pigneratio, quod lexicographi volunt, sed Orestes dicitur *κύριος* fidei mutuae, i. e. uxoris et mariti fidem continet et eo ipso, quod est, incorruptam servat. Pluralis

autem ille *πιστευμάτων* eis exemplis, quae supra p. 55 attuli, velut *εὐνήματα*, *χορεύματα*, al., satis illustratur.

Alterum disputationis locum obtineaut versus Eu. 236/40, ubi verba Orestis ad Minervae aram sedentis haec sunt:

ἥκω, δέχου δὲ πρευμενῶς ἀλάστορα,
οὐ προστρόπαιον οὐδ' ἀφοίβαντον χέρα,
ἀλλ' ἀμβλὺν ἤδη προστετριμμένον τε πρός
ἄλλοισιν οἴκοις καὶ πορεύμασι βροτῶν,
ὅμοια χέρσον καὶ θάλασσαν ἐκπερῶν.

Parum recte adhuc intellectum esse mihi videtur, quid significet hoc loco *πορεύματα*. Si enim hoc nomen derivamus a sollemni illo genere medio *πορεύεσθαι*, exsistit vis itineris, itionis. Ea autem accepta locus sensu cassus esset omnino, cum *πορεύματα βροτῶν* neminem cum Schuetzio et Dindorfio intellecturum esse sperem itinera ad homines facta. Si autem verbum activum fundamentum nominis esse volumus eique attribuimus significatum, qui est *πόρον ποιεῖν*, quem, etsi nusquam legitur, habere tamen poterat verbum, cf. *χορεύειν, τυρεύειν*, al., *πόρευμα* intellegendum est *πόρος*, via. Hanc autem notionem male responsuram esse ad illam nominis *οἶκος* quis est quin videat, neque defendi posset is significatus versibus Eu. 454/5 *πάλαι πρὸς ἄλλοις ταὐτ' ἀφιερώμεθα οἴκοισι καὶ βατοῖσι καὶ ῥυτοῖς πόροις*[1]), cum eo loco duo versus (239. 240) in unum (455) contracti sint. Una igitur interpretationis via relicta est. Si meminerimus *πορεύειν* esse „loco movere aliquid" idque de navibus etiam dictum esse, velut Eur. Tr. 1086 *ἐμὲ δὲ πόντιον σκάφος | ἀίσσον πτεροῖσι πορεύσει | ἱππόβοτον Ἄργος*, non dubito, quin *πόρευμα* intellecturi simus *τὸ πορεῦον*, id quod loco movet, navem. Eodem sensu legimus IA. 299/300 *ἐνθάδ' οἷον εἰδόμαν | νάιον πόρευμα* de classe Graecorum dictum, Pr. 484 *λινόπτερ' εὗρε ναυτίλων ὀχήματα*, IT. 409/10 *ἔπλευσαν ἐπὶ πόντια κύματα | νάιον ὄχημα λινοπόροις αὔραις*[2]). Si hic, quo instructum esse dixi illud nomen, significatus rectus est, habemus eam notionem, quae comparetur cum nomine *οἴκοις* quoque efficiatur, ut versus quem tractamus respondeat plane ad eum qui sequitur. Ceterum, cum Orestes navem omnino non conscenderit in fuga sua, maris et navis mentio facta est, quo notio universitatis exprimeretur, Orestem scilicet nusquam non vagatum esse, velut Soph. An. 1108 Cleo iubet *ἴτ' ἴτ' ὀπάονες, οἵ τ' ὄντες οἵ τ' ἀπόντες*, i. e. omnes nullo excepto, aliaque multa[3]).

---

[1]) Weilius *βοτοῖσι* commutavit in *βατοῖσι*.

[2]) Recte navem intellexerunt *ὄχημα* Weilius ad l. et Jebbius ad Soph. Tr. 656 analogia verborum *πόδα βαίνειν*, al.; erraverunt Hermannus ad l. et Wilamowitzius ad HF. 59.

[3]) De hoc usu conferas Wilamowitz ad HF. 1106; Kemmer Die polare ausdrucksweise, Beitraege zur hist. synt. der gr. sprache, 1903.

Tractatis his Aeschyli locis, iam Euripidis de duobus versibus pauca verba facienda sunt, quorum tamen priore nonnulli iam critici ad meam sententiam inclinaverunt. Su. 631 sqq. chorus matrum implorat Iovem his verbis:

τὸ σὸν ἄγαλμα, τὸ σὸν ἵδρυμα
πόλεως ἐκκόμιζέ μοι[1])
πρὸς πυρὰν ὑβρισθέν.

Nomen ἄγαλμα esse participiale satis demonstravi eodemque modo intellegendum esse dico ἵδρυμα, quod passivum intellegitur non recte, ut Passovius in lexico fecit vertitque Fixius „tuum decus, a te constitutos incolas", quodque genus verbi invenitur Platonis illo loco leg. 11, 931 a, quem p. 60 exscripsi, cum de nomine ἱδρύματα agerem. Haec autem Supplicum verba sic interpretor: τοὺς τὴν σὴν πόλιν ἀγάλλοντας καὶ ἱδρύοντας, qui tuam urbem ornant et qui, ut eodem verbo utar, [stabilem] sedem ei praebent, i. e. qui eam sustinent. De vi autem collectiva numeri singularis conferas versum Io. 748 γυναῖκες, ἱστῶν τῶν ἐμῶν καὶ κερκίδος δούλευμα πιστόν aliosque.

Altero loco dicenda habeo nonnulla de verbis illis, quibus Menelaus Hel. 1593 comites suos appellat

ὦ γῆς Ἑλλάδος λωτίσματα.

Omnes hoc nomen, quod uno hoc loco traditum legitur, passivum intellexerunt, cum niterentur glossa Hesychi, qui λώτισμα explicavit οἱ πρῶτοι καὶ ἐπίλεκτοι. Excepto autem uno Hermanno, qui ad l. annotavit: „nescio an λωτίσματα ex hoc ipso versu posuerit", omnes fugisse videtur Hesychium non pluralem, sed singularem explicasse, qui numerus multo certe melior esset loco quem tractamus, si sensus esset passivus, cf. e. g. Pe. 927 πολλοὶ φῶτες, χώρας ἄνθος; Eur. Tr. 809 ὅθ' Ἑλλάδος ἄγαγε πρῶτον ἄνθος; fr. 316 παίδων νεογνῶν ἐν δόμοις ἰδεῖν θάλος. Ut autem perveniamus ad intellegendam nominis vim, cognoscamus necesse est, quid sit λωτίζειν, quod semel tantum legitur, Aesch. Su. 974, ubi regis verba leguntur, quae sunt τούτων τὰ λῷστα καὶ τὰ θυμηδέστατα, πάρεστι, λωτίσασθε. Hesychius quidem λωτίζειν explicavit verbis ἀπανθίζεσθαι, ἀπολλύειν et Zonaras λώτισμα nomine ἀπάνθημα, cuius tamen significatus exempla desunt. Ut igitur verbum λωτίζειν recte intellegamus, analogiam circumspicere debemus, quam primo obtutu offert ἀνθίζειν, quod, cum verba in ιζω plerumque significatum habeant faciendi, est „floridum reddere aliquem", „floribus ornare", non „flores carpere". Hac de causa λωτίζεσθαι illo Aeschyli loco intellegendum est „sibi sumere ad usum et commodum suum". Cum autem hunc verbi significatum cognoverimus, non dubito eo loco quem tractamus nomen λωτίσματα participiale intellegere, „qui" scilicet

[1]) Musgravi certa coniectura factum ex ἐκκομίζομαι.

„Graeciam floribus ornatis", quo eodem modo dicuntur viri ἀγάλματα patriae Hel. 206, Su. 631 aliisque locis non paucis[1]).

Haec sunt quae gravissima de usu tragicorum dici possunt; iam transeamus ad comicorum sermonem percensendum, in quo haec nomina rarius inveniri vix est quod dicam.

De nonnullis autem rebus vel instrumentis nomina in μα usurpabantur: ἥδυσμα Eq. 678 ἔπειτα ταῖς ἀφύαις ἐδίδουν ἡδύσματα, Ve. 496, 499; δελέασμα Eq. 789; ἄγαλμα, de quo supra egi; κόρημα Pa. 59, Eupolidis fr. 157; κάλυμμα Ly. 530; χέρνιμμα Philonidis fr. 14; διακόλλημα Eupolidis fr. 409; τρύφημα Arist. fr. 320, Polyzeli fr. 11. Paratragoedica autem leguntur haec: βόσκημα Ra. 892, νόημα Nu. 229, Th. 463; ἀπαιόλημα Nu. 729; φρόνημα Ve. 1024; ἀγώνισμα Ra. 284; ὄχημα Pa. 866. Pluralem autem poni pro singulari prorsus esse alienum a comicis supra p. p. 31 et 34 ostendi, neque bene mutavit Dobreeus versum Ve. 496 ἢν δὲ γήτειον προσαιτῇ ταῖς ἀφύαις ἥδυσμά τι in τις ἀφύαις ἡδύσματα, quo loco Hirschigius pro τι scripsit τις recte.

Quod apud Sophoclem cognovimus, magis etiam invenimus apud Aristophanem, nomina scilicet in μα de hominibus dicta in usu non fuisse. Legimus enim ipsius comici nulla nisi collectivum illud στράτευμα Ach. 1080, Ly. 1133 et nomina contumeliosa, quae sunt Pl. 454 γρύζειν δὲ καὶ τολμᾶτον, ὦ καθάρματε, Av. 431 πυκνότατον κίναδος σόφισμα κύρμα τρῖμμα παιπάλημ' ὅλον. Horum prius certo intellegendum est participiale, ut scholiasta docet, cui καθάρματα sunt οἱ ἐπὶ καθάρσει κακοῦ τινος θυόμενοι, ut morte eorum illud expietur[2]). De altero autem nomine summa esse potest dubitatio. Leo Meyer s. v., Jebbius ad Ai. 381, alii παιπάλημα iudicaverunt derivatum esse a παιπάλη, quod de homine dicitur Nu. 260 λέγειν γενήσει τρῖμμα κρόταλον παιπάλη, ut idem esset, quod passivum ἄλημα. Apud Hesychium autem ipsum verbum παιπαλᾶν invenimus, quod grammaticus explicavit ἐρευνᾶν, περισκοπεῖν, a quo non differt Suidas, qui s. v. Κίρκη dicit τὰς δὲ παιπαλώσας γυναῖκας Κίρκας φαμέν, et παιπάλημα ei est ποικίλος ἐν κακίᾳ, quam interpretationem probavit Photius, ita ut eos nomen hoc participiale intellexisse appareat, ad quam interpretationem non male quadrant verba Athenaei 8, 335 D, ubi Polycrates sophista vocatur λόγων τε παιπάλημα καὶ κακὴ γλῶσσα, quibuscum conferas etiam Aeschinis locum qui est 2, 40. Ceterum hanc quaestionem diiudicabunt ei, qui altius in naturam linguae penetraverint; explicationem autem alteram simpliciorem esse quam priorem credo.

---

[1]) Vocabula λώτισμα et λωτίζεσθαι leguntur tribus aliis locis. Aesch. fr. 99 v. 17 et Achaei fr. 31 restituta ea sunt coniectura satis certa; Soph. fr. 657 codices discrepant, neque λωτίζεσθαι bonum videtur.

[2]) Similes sunt explicationes Hesychi, Suidae, annotatio ad Ach. 44.

Iam si breviter perlustramus universum usum eorum nominum, quae in μα exeunt, hanc eius summam esse videmus. Graecorum omnium commune erat, nisi quod numero differebant, usurpare ea nomina ad significandum id, quod actione est effectum vel id, ad quod actio pertinuit, ita ut vis esset passiva. Activa autem solebant esse ea tantum, quae a verbis intransitivis derivata erant. Aeschylus et magis etiam Euripides transitivis quoque eandem vim attribuebant. Participialia denique illa quae dico in sermone vulgari pauca admodum erant, quae usurpabantur de rebus vel instrumentis, de hominibus rarissime adhibebantur. Tragoedia contra eis nominibus tam bene sonantibus imprimis indulgebat, cum causis illis notis de hominibus etiam usurparet, qua in sermonis libertate primas tenebat idem Euripides.

Pars Tertia.

Cum adhuc nomina verbalia tractaverim ipsa ab aliis seiuncta respectu habito formationis et significatus, iam demonstrare conabor, quantopere ea nomina, quae medium fere tenere inter nomina et verba ipso eorum nomine exprimitur, in ordine verborum et in adiungendis aliis vocabulis aut in substantivi formam abierint aut verbi sui naturam secuta sint.

Nomina in σις quidem vera substantiva facta sunt et ut illa cum genetivo coniungebantur, velut Eu. 591 legitur *τούτου δ' οὔτις ἄρνησις πέλει.* In uno tamen nomine ἅλωσις, quod legimus Se. 112 *ἄρηξον δαΐων ἅλωσιν,* structuram verbalem cognovimus, si modo locum recte interpretatus sum. Eodem modo substantiva sunt ea nomina apud Euripidem, qui An. 28 *ἐπικούρησις κακῶν* etiam scribere ausus est, quasi esset e. g. *ἄρκεσις κακῶν.* Sophocles a se impetravit, ut Ph. 18 diceret *ἡλίου διπλῆ πάρεστιν ἐνθάκησις,* cum verbum *ἐνθακεῖν* dativum semper assumpsisse (El. 267, OC. 1293) per se appareat. Comoedia denique naturam nominum verbalem omnino neglegebat; Nu. 765 legimus *ἀφάνισις τῆς δίκης,* alibi alia.

Paulo solutior est usus nominum in μος, etsi eorum etiam plurima facta sunt substantiva. Versu quidem Hec. 241 *ὀμμάτων τ' ἀπὸ φόνου σταλαγμοὶ σὴν κατέσταζον γένυν* non est quod verba *σταλαγμοὶ ἀπὸ ὀμμάτων* coniungamus, cum praepositio referri possit ad verbum. Tres autem exstant loci, quibus natura verbi, quod inest in nomine, erupit, etsi altero verbo addito infirmatur. Se. 60/1 de Argivorum exercitu appropinquante haec dicuntur: *χωρεῖ, κονίει, πεδία δ' ἀργηστὴς ἀφρὸς χραίνει σταλαγμοῖς ἱππικῶν ἐκ πλευμόνων,* i. e. campos conspergit alba spuma destillando ex

equorum pulmonibus, quamquam tamen *ἀφρὸς ἱππικῶν ἐκ πλευμόνων* per se etiam coniungenda sunt. Clariora etiam sunt duo exempla Euripidea. Ph. 1524/5 in cantu lugubri Antigonae legimus *τίν' ἐπὶ πρῶτον ἀπὸ χαίτας σπαραγμοῖσιν ἀπαρχὰς βάλω*, ubi arte conexa esse *ἀπὸ χαίτας σπαραγμοῖσιν* et praeterea *ἀπὸ χαίτας ἀπαρχάς* apparet. Similis est versus Tr. 453, ubi Casandra sacerdotales coronas abicit exclamans *ἴτ' ἀπ' ἐμοῦ χρωτὸς σπαραγμοῖς*. Invenimus igitur tribus his locis nomen coniunctum cum praepositione, articulo non addito, ita ut casus illi dativi locum obtineant infinitivi, qui in substantivi formam redactus est. Apud Sophoclem autem et Aristophanem hic aut similis usus prorsus deest.

Multo saepius quam in eis, quae modo tractavi, natura verbalis cognosci potest nominum in *μα*, quippe quae non raro proxime absint a verbi ipsius formis. Ac primum quidem tractemus ea, quae vi passiva praedita sunt. Apud Aeschylum autem haec inveni. Ch. 506 *ὑπὲρ σοῦ τοιάδ' ἔστ' ὀδύρματα* certum exemplum non est, cum *ὑπέρ* ad verbum referri possit; Se. 520 *μητρὸς ἐξ ὀρεσκόου βλάστημα* hoc quidem loco tractare licet, cum *βλάστημα* passive intellegendum esse supra p. 51 dixerim, sed eodem modo dictum esse potest, quo *ὦ παῖ πατρὸς ἐξ Ἀχιλλέως* Soph. Ph. 260, *παίδων τῶν ἀπ' Οἰδίπου περί* An. 193. Certa autem constructio passiva verbi cognoscitur v. Pe. 526/7 *γῇ τε καὶ φθιτοῖς δωρήματα*, cuius similis est versus Eu. 405 *ἐξαίρετον δώρημα Θησέως τόκοις*, neque aliter intellegi potest Eu. 935 *τὰ γὰρ ἐκ προτέρων ἀπλακήματα*. Ut omnibus, quae adhuc tractavi, ita hoc etiam usu Euripides ceterorum libertatem supergressus est. Versus quidem Io. 405 *λέξον τί θέσπισμ' ἐκ Τροφωνίου φέρεις*, IT. 239 *ἄκουε καινῶν ἐξ ἐμοῦ κηρυγμάτων*, IA. 1074 *ἐκ θεᾶς ματρὸς δωρήματ' ἔχων*, El. 423 *εὖροι δαιτὶ προσφορήματα*, cum verbum additum sit, pro certis verbalis constructionis exemplis haberi non possunt. Sed praeclara exempla sunt haec: *τὰ Ταντάλου θεοῖσιν ἑστιάματα* IT. 387 [1]), *ἀλόγιστον δέ τι τὸ πλῆθος ἀντάλλαγμα γίγνεται φίλου* Or. 1157. Plane eodem modo intellegendus est versus Hel. 20, ubi cygnus vocatur *ὑπ' ἀετοῦ δίωγμα φεύγων*, i. e. fugiens ut aliquid quod ab aquila fugatum est. Non est cur cogitemus de duabus constructionibus confusis, ut Dindorfius censuit, *φεύγων* scilicet *τὸ δίωγμα ἀετοῦ* et *φεύγων ὑπ' ἀετοῦ*, neque iustiores sunt curae, quas similes Hermannus sibi movit [2]). Praeclaris enim exemplis probatur interpretatio mea, quae sunt Or. 835/6, ubi de Oreste dicitur *βεβάκχευται μανίαις | Εὐμενίσι θήραμα φόνῳ*, i. e. agitatus a Furiis propter matrem interfectam, Tr. 1121, ubi Astyanax est *ὃν πύργων δίσκημα πικρὸν Δαναοὶ κτείναντες ἔχουσιν*.

[1]) *Ἑστιᾶν τινι* legitur apud Epicharmum, Lorenz p. 245; cf. Bekkeri Anecd. 37, 24, schol. in Th. 941.

[2]) Verba quae vir ille doctus annotavit ad l. haec sunt: „ambigua est oratio, ut dubitari possit, utrum *τὸ ὑπ' ἀετοῦ δίωγμα φεύγων* an, quod veri similius est, *ὑπ' ἀετοῦ φεύγων τὸ δίωγμα αὐτοῦ*."

Inter ea quae Sophocles praebet exempla Ph. 554/5 *ἀμφὶ σοῦ νέα βουλεύματ᾽ ἐστί* certum non est; El. 931 autem legimus *τὰ πολλὰ πατρὸς πρὸς τάφον κτερίσματα* et Tr. 603 *δώρημ᾽ ἐκείνῳ τ᾽ ἀνδρὶ τῆς ἐμῆς χερός*, quocum conferatur versus 668 *οὐ δή τι τῶν σῶν Ἡρακλεῖ δωρημάτων*. Non parvam autem suspicionem movit viris doctis versus An. 1219, qui est *τάδ᾽ ἐξ ἀθύμου δεσπότου κελεύσμασιν ἠθροῦμεν*. Duas constructiones confusas esse iudicavit Hermannus, qui *ἐξ ἀθύμου δεσπότου ἠθροῦμεν* et *κελεύσμασι δεσπότου ἠθροῦμεν* coniunxit, quod non minus grave neque minus Sophocleum esset, quam si, quod alii fecerunt, *κελεύσμασιν* ad explicandum additum esse putaremus verbis quae sunt *ἐξ ἀθύμου δεσπότου ἠθροῦμεν*. Si autem verba *ἐξ ἀθύμου δεσπότου κελεύσμασιν* intellegimus *ἐξ .... κεκελευσμένοις*, quo lectione tradita ducimur, iure desideramus articulum, praesertim cum nihil aliud nomini additum sit. Lenis igitur mutatio, aut quam Nauckius proposuit *ὀξυθύμου*, aut quam Schwartzius mecum communicavit *ὀξύθυμοι*, aut melior illa Burtoni, quam Jebbius ad l. laudavit, *κελευσμάτων*, quin recipienda sit non dubito.

In comoedia denique verbalis structurae exemplum ne unum quidem inveni.

Ut passiva, ita activa etiam nomina in *μα* naturam verbalem sequi solebant nonnumquam. Ex Aeschyli tamen fabulis quae afferri possunt exempla non omnino sunt ea, quibus ille usus demonstretur. Eu. 250 *ὑπέρ τε πόντον ἀπτέροις ποτήμασιν ἦλθον*, Pe. 308 *πήδημα κοῦφον ἐκ νεὼς ἀφήλατο*, Pe. 760 *τήνδ᾽ ἐβούλευσε κέλευθον καὶ στράτευμ᾽ ἐφ᾽ Ἑλλάδα* non certa sunt, cum verbum additum sit. Quod autem legimus Ch. 651 *τρίτον τόδ᾽ ἐκπέραμα δωμάτων καλῶ* verbale quidem esse potest (*ἐκπερᾶν τινος*), sed nulla re impedimur, quominus verum substantivum esse iudicemus collato illo *ἡλίου ἐνθάκησις*, quod legimus Soph. Ph. 18.

Euripides autem, qui nomina in *μος* verbaliter usurpabat, illis etiam in *μα* indulgebat. Non certa exempla sunt Hi. 829 *πήδημ᾽ ἐς Ἅιδου κραιπνὸν ὁρμήσασά μοι*, Tr. 755 *λυγρὸν δὲ πήδημ᾽ ἐς τράχηλον ὑψόθεν πεσών*; sed. Or. 1548 legimus *διὰ τὸ Μυρτίλου πέσημ᾽ ἐκ δίφρου*. Cum verbis autem coniuncta, ita ut significatus verbi illius, a quo derivatum est nomen, exsistat, nonnulla leguntur. HF. 109 invenimus *ἀμφὶ βάκτροις ἔρεισμα θέμενος*, ubi *ἔρεισμα τίθεσθαι* positum est pro *ἐρείδεσθαι* eodem modo, quo legimus *σπουδὴν τίθεσθαι* Ai. 13, alia. [1]) Io. 510/1 legimus *πρόσπολοι γυναῖκες, αἳ τῶνδ᾽ ἀμφὶ κρηπῖδας δόμων θυοδόκων φρούρημ᾽ ἔχουσαι δεσπότην φυλάσσετε*, ubi igitur verbum *φρουρεῖν* est vigilare, non custodire. Ph. 1549 exstat *ἣ πόδα σὸν τυφλόπουν θεραπεύμασιν αἰὲν ἐμόχθει*, quorum vocabulorum vis plane eadem est quae *ἐθεράπευσε μοχθήσασα*, cf. Soph. El. 123/5 *τίν᾽ ἀεὶ τάκεις ὧδ᾽ ἀκόρεστον οἰμωγὰν τὸν πάλαι . . . ὀλόντ᾽ . . .*

[1]) Aliter iudicavit Wilamowitz ad l.

Ἀγαμέμνονα, Tr. 50. Denique versus Tr. 892/3 hoc loco tractandi sunt, quibus Menelaus ab Hecuba monetur, ut caveat uxorem suam, *αἱρεῖ γὰρ ἀνδρῶν ὄμματ', ἐξαιρεῖ πόλεις, πίμπρησι δ'οἴκους· ὧδ' ἔχει κηλήματα.* Quominus enim intellegamus *κήλημα* participialiter venenum vel tale quid, quo quis *κηλεῖ*, impedimur adverbio illo *ὧδε*. Active igitur nomen intellego *τὸ κηλεῖν*, ita ut sensus exsistat *ὧδε κηλεῖν ἔχει*, et adverbium trahatur ad duo illa verba coniuncta. Probatur autem haec interpretatio mea eo, quod Suidas nomen *κήλημα* comparavit cum eo quod est *κηληθμός* et explicavit voce *ἀπάτη*, ita ut ei significatum activum notum fuisse appareat.

Sophocles autem et Aristophanes hunc usum nominum, quem modo descripsi, omnino reiecerunt, ita ut statim ad naturam participialium cognoscendam transire nobis liceat.

Eorum autem, quae vim participialem prae se ferunt et participii structuram secuta sunt, primum hoc loco afferendum est quod legimus Pr. 517 *ἔνερθε δὲ χθονὸς κεκρυμμέν' ἀνθρώποισιν ὠφελήματα*, ubi dativus ille *ἀνθρώποισιν* e verbo *κρύπτειν* pendere non potest, sed aut ad multis illud vocabulis separatum verbum *ἐξευρεῖν* aut ad nomen *ὠφελήματα* referendus est, cum verbum *ὠφελεῖν* apud Aeschylum et accusativi (Pr. 523) et dativi (Pe. 844) sibi adiungendi facultatem habeat. Quod exstat Ch. 234 *ὦ φίλτατον μέλημα δώμασιν πατρὸς* certius exemplum putari non potest quam Soph. Ph. 150 *μέλον πάλαι μέλημά μοι λέγεις*, cum dativus ille ab adiectivo *φίλτατον* et hic a verbo *λέγεις* ut regatur fieri possit. Num autem Ch. 154 in verbis *ἔρυμα τόδε κακῶν κεδνῶν τ'* et Me. 1322 *ἔρυμα πολεμίας χερός* constructio verbalis (*ἐρύειν τινά τινος*) cognosci debeat, diiudicare non audeo; nomen enim substantivum, e quo pendeat genetivus, intellegi posse probatur illo *ἐπικούρησις κακῶν*, quod p. 69 attuli. Ipsum autem participium eiusque constructionem inveuimus duobus locis. Eur. Tr. 1105/6 legimus *Ἰλιόθεν ὅτε με πολύδακρυν* | *Ἑλλάδι λάτρευμα γᾶθεν ἐξορίζει* et Ph. 1489/92 *φέρομαι βάκχα νεκύων . . . ἁγεμόνευμα νεκροῖσι πολύστονον*, quod scholiasta explicavit verbis *ἑαυτὴν λέγει προηγήτειραν τῶν νεκρῶν*. Aliis autem locis legitur genetivus, velut Io. 747/8 *γυναῖκες, ἱστῶν τῶν ἐμῶν καὶ κερκίδος δούλευμα πιστόν*. Nescio tamen an non forte acciderit, quod utrumque nomen a verbo derivatum est, e quo pendere solet dativus, ita ut satis cognoscere non possimus, utrum hi dativi ab ipso verbo regantur, an suppletis participiis *οὖσαν* aut *οὖσα* ethici intellegendi sint qui dicuntur dativi, cuius usus exempla infra afferam. Omnis tolleretur dubitatio, si e. g. legeremus ullo loco *ἴδρυμα πόλιν* aut simile quid.

Apud Aristophanem in cantico Ec. 905 virgo anum vocat *τῷ θανάτῳ μέλημα*, cum tamen ibidem 973 adulescens virginem suam appellet *ὦ χρυσοδαίδαλτον ἐμὸν μέλημα*. Alia autem exempla apud comicos prorsus desunt.

Haec quamvis pauca omnia tamen sunt quae afferre potui exempla constructionis verbalis nominum in $\mu\alpha$. Omnium igitur significatus generum vidimus structuram verbalem a comoedia repudiatam esse, quippe quae nomina illa, quibus quidem utebatur, pro meris substantivis haberet, in quibus originis verbalis vestigia non iam cernebantur. Tragici contra poetae, qui nominum in $\mu\alpha$ plurima ipsi sibi formabant, quo modo et qua origine orerentur, ante oculos habebant eaque de causa structuram verbi eis attribuere nonnumquam sibi sumebant. Ac frequentissimum quidem et quod facillime intellegimus erat, quod nomina, quae vim passivam habebant, constructionem etiam participiorum perfecti passivi sequebantur. Activa autem et participialia naturam verbalem raro prae se ferebant, saepius quidem apud Euripidem, qui, ut in omnibus, quae adhuc tractavi, ita in hoc etiam nominum usu suam viam ingressus sua licentia utebatur.

CAPVT TERTIVM.

Hoc capite tertio eosdem numeros easdemque rationes secutus, quae eo quod praecedit, tractabo ea nomina, quae dicuntur agentis vel actoris. Ut autem plenior commentatio fiat conspectusque detur omnium nominum eiusdem terminationis, non, ut antea, continebitur disputatio eis, quae ab ipso verbo derivata sunt. Permulta tamen illa nomina agentis in *ος*, ut *πομπός*, *ων* ut *ἡγεμών*, *ις* ut *μάντις*, omittantur necesse erit, quod spatium nimis angustum relictum est. Ea tantum, quae in *τωρ τηρ της* exeunt, tractabo, neglectis eis etiam, quae propinquitatem significant, velut *πατήρ*, *μήτηρ*, al., et illis quae sunt *γαστήρ*, *ἀστήρ*, si hoc omnino nomen agentis est [1]), et quod significatu eorum natura verbalis non iam perspicitur et quod declinatione a ceteris nominibus agentis recesserunt.

Maiore autem ambitu haec nomina agentis adhuc tractata non sunt. Praeter grammaticos, quorum suo quemque loco laudabo, pauca de eis in universum dixit Ebelius [2]) et de usu eorum Homerico verba fecit D'Ooge [3]) cui, quae in eis quae sequuntur ex Homeri carminibus afferam, magna e parte debentur. Quam autem conscripsit dissertationem Buehlerus [4]) magni momenti non esse D'Ooge satis demonstravit.

Antiquiora esse suffixa *τωρ* et *τηρ* eo maxime probatur, quod in lingua sanscritica et latina locum habent. Terminatio autem *της* vel, ut melius dicam, stirps eius ta usurpata quidem ad nomina agentis significanda Graecorum propria est; latinae illae voces, velut poeta, nauta, al., e Graeca lingua receptae sunt. Suffixum autem hoc Graecum *της* e priore illo *τηρ* ortum esse ut demonstraret, sibi proposuit D'Ooge, neque multum discrepat Ebeli sententia. *Τηρ* ille contendit assumpsisse litteram qua nominativus designatur *ς* et deinde eiecta littera *ρ* factum esse *της*. Talis

---

1) Cf. Leo Meyer Handbuch der gr. Etymologie s. v.
2) Die masculina auf *της*, Kuhns Zeitschrift 4 p. 155.
3) On the use of the suffixes *τερ τορ τα* in Homer, Leipzig 1873.
4) Das griechische secundaersuffix *της*, Goettingen 1858.

autem explicatio refutatione non eget; ut unum tantum dicam, ei repugnat diversus ille accentus, qui cernitur e. g. in *βοτὴρ βώτης*, *ποτὴρ πότης*, al. Brugmannus[1]) autem docuit nomina haec agentis in *της* metonymia quadam orta esse eodem scilicet quo supra demonstravi modo e. g. *δούλευμα*, al. *Ἀγρότης* igitur, ut exemplo utar, primum est agricultura, deinde agricola[2]). Hoc suffixum ta abiit in significatum concreti masculini, cum eius locum, si vis erat abstracta, occuparet apud Graecos suffixum tat, velut *βαρύτης*, *βαρύτητος*, al. Haec pro re satis dicta sunt; plura apud ipsum legantur. Utrum autem suffixum illud *της* plane idem significet quod *τηρ τωρ* et utrum ad easdem stirpes sese applicaverit, quod D'Ooge contendit, quamque rem silentio praeterierunt grammatici nostri, an aliqua statui possit differentia quaeque ea sit praecipue inter tragicos et comicos poetas, eis quae sequuntur disceptaturus sum. Incipiamus autem a formatione nominum quae tractamus.

Pars Prima.

Agmen ducant ea nomina, quae in *τωρ* exeunt, non quod antiquiora sint quam ea, quae in *τηρ* terminantur, sed quod speciem antiquitatis maiorem prae se ferebant et magis magisque abolescebant[3]).

Ab ipsa stirpe derivata legimus apud Aeschylum quae sunt *δέκτωρ* Eu. 204, *ῥύτωρ* Se. 305, *ἴστωρ* Ag. 1075, *μνήστωρ* Se. 164, *νεμέτωρ* Se. 472 al.; verbalia autem, velut *οἰκήτωρ* Pr. 367, *ποινάτωρ* Ag. 1280, per consonantes formata, velut *μαστίκτωρ* Eu. 159, *ταράκτωρ* Se. 559, *ἀλέκτωρ* Ag. 1671, quod Leo Meyer s. v. ab *ἀλέξειν* derivatum esse dicit, *ἁρμόστωρ* Eu. 459, *μιάστωρ* Eu. 178, *ἀλάστωρ* Su. 420, cuius verbum adhuc ignoramus. Eiusdem plane modi multiplicis ac varii formationes sunt, quae apud Euripidem leguntur, nisi quod verbalia, quorum stirps per *δ* finitur, velut *ἁρμόστωρ*, desunt. Apud Sophoclem autem pauciora et minus varia sunt nomina. *Ἴστωρ* El. 850 eiusque compositum An. 542, *πράκτωρ* Tr. 251, El. 953, *συμπράκτωρ* OT. 116, *νάτωρ* fr. 248, ubi coniectura scriptum est *Ἴναχε νᾶτορ, παῖ τοῦ κρηνῶν*, *ῥήτωρ* fr. 986, *ἀλέκτωρ* fr. 767, deinde *μελέτωρ* El. 846, *ἀλάστωρ* Ai. 372, *μιάστωρ* El. 275, *οἰκήτωρ* Ai. 396, *ἀλεξήτωρ* OC. 143, *τινάκτωρ* Tr. 502. *Φύτωρ* autem coniectura restituere voluit Dindorfius Tr. 1032; *σημάντωρ* OT. 957 satis certo traditum non

---

[1]) Gramm p. 201; Grundriss der vergl. Gramm. der indog. Spr. II 1 p. p. 216, 225.

[2]) Brugmann Gramm. p. 368,

[3]) Pauca de his dixerunt Brugmannus Gramm. p. 191; Kuehner l. l. I 2, 270; Rutherford The new Phrynichus p. 58 sqq.

est. Haec sunt omnia Sophoclea, allatis tamen singulorum singulis exemplis.

Ut primis temporibus nomina, quae in *τηρ* exeunt, formam femininam non habebant, cf. *μήτηρ, θυγάτηρ*, sic ea, quae in *τωρ* formata sunt, omnino receperunt nullam, ita ut pro genere feminino legatur masculinum, velut Ag. 113 *πέμπειν σὺν δορὶ καὶ χερὶ πράκτορι*, Su. 1050 *θέλκτορι Πειθοῖ*, Soph. El. 850, Or. 1584 aliisque locis.

Aristophanes autem et omnes poetae comici unum tantum nomen usurpabant suffixo *τωρ* praeditum, dico *ῥήτωρ*, Ach. 38, 680, Eq. 60 aliisque locis non paucis. Cetera omnia, quae apud eos leguntur, *ἀλέκτωρ* Nu. 663, 1427, Ve. 1490, Ra. 932, Platonis fr. 209, *κτίστωρ* Av. 926, *ῥύτωρ* Th. 108, *πράκτωρ* Ra. 1289, *ἐγγλωττογάστωρ* Av. 1695, aut aliunde sumpta aut sermone vel metro sublimi usurpata sunt.

Nomen autem nominale, id dico, quo *τωρ* adiunctum est stirpi nominis alicuius, non inveni. De *ἀσπίστωρ* autem Ag. 413, quod non pauci ita interpretati sunt, infra erit dicendum. Talis enim coniunctio suffixi naturae et significatui principali omnino repugnat, neque recte apud Homerum *I* 404 *οὐδ' ὅσα λάινος οὐδὸς ἀφήτορος ἐντὸς ἐέργει Φοίβου Ἀπόλλωνος* a D'Ooge *ἀφήτωρ* ab *ἀφή* derivatum cardoque intellectum est, etsi, unde id nomen ducendum sit, adhuc non constat, qua de re inspiciatur Lexicon Homericum.

Nominum quae in *τηρ* terminantur apud Aeschylum habemus primum *ὀπτήρ* Su. 191, *δοτήρ* Pr. 639, *ἀναστατήρ* Se. 1006, *ἀναλυτήρ* Ch. 160, *ῥαιστήρ* Pr. 56, *μνηστήρ* Pr. 766, *ἀνδρολετήρ* Se. 301; deinde verbalia, velut *μασχαλιστήρ* Pr. 71, *ὑπασπιστήρ* Su. 188[1]), *τευχηστήρ* Pe. 904, *ἀτιμαστήρ* Se. 624, *μαστικτήρ* Su. 475 coniectura certa positum, *τινακτήρ* Pr. 956, *κτεατήρ* Ag. 368, *εὐνητήρ* Pr. 923, *πενθητήρ* Pe. 949, *ἀμπυκτήρ* Se. 448, *εὐθυντήρ* Su. 725, *μηνυτήρ* Eu. 245; *μακιστήρ* Pe. 700 *μή τι μακιστῆρα μῦθον, ἀλλὰ σύντομον λέγων*, num a ficto quodam *μακίζειν* derivare liceat, nescio. Apud Euripidem desunt, nescio an forte, ea verbalia, quae a verbis in *νω, υνω* originem duxerunt, apud Sophoclem praeterea illa etiam, quorum stirps in litteram gutturalem exit. Cetera autem usurpata sunt ita ut ab Aeschylo.

Iam si comicorum usum perlustramus, nomina in *τηρ* et quantum attinet ad genus et quantum ad numerum artis finibus circumscripta esse videmus. Exceptis his quattuor, quae sunt *τροπωτήρ* Ach. 549, *χαρακτήρ* Pa. 220, *ἑλικτήρ* fr. 320, *κλιμακτήρ* fr. 277, suffixum *τηρ* ipsi stirpi addebatur, ita ut, excepto uno *ἐλατήρ* Ach. 246, Eq. 1182, 1265, bisyllaba semper exsisterent nomina, velut *στατήρ, τριπτήρ, σωτήρ, μυκτήρ, κρατήρ, κλητήρ, κλωστήρ, πρηστήρ, πλωτήρ, ἁλτήρ, ἀρτήρ, στρωτήρ, βατήρ*, alia.

---

[1]) Conferas quae modo dixi de nomine *ἀσπίστωρ*.

Formam autem femininam initio eandem fuisse quam masculinam probatur vocibus *μήτηρ*, *θυγάτηρ*, al., neque pauci sunt loci apud tragicos, quibus *τηρ* pro feminino exstat, velut Ag. 669 *τύχη δὲ σωτήρ*, Eu. 806 *βρωτῆρας αἰχμάς*, Pe. 949 *γέννας πενθητῆρος*, Eu. 186 *δίκαι καρανιστῆρες*; apud Sophoclem OT. 81 *τύχῃ σωτῆρι*, OT. 185 *ματέρες ἱκτῆρες*, An. 1074 *Ἐρινύες λωβητῆρες*; apud Euripidem Me. 360 *χθόνα σωτῆρα κακῶν*, El. 993 *τιμὰς σωτῆρας ἔχοντες*; Carcini fr. 5 *μητέρα μαστῆρα*. Saepius tamen usurpabatur specialis forma generis feminini, quae est *τειρα*, ut apud Homerum, ita apud Aeschylum, Ag. 1466 *Ἑλένη . . . ἀνδρολέτειρα*, Su. 169, Se. 962, al., apud Euripidem e. g. Me. 528 *σώτειρα*, Her. 588, Tr. 195, nulla continente condicione aut lege. Sophocles autem hanc formam vitavit, ita ut unum certum apud eum legatur exemplum, quod est *τεκνολέτειρα* in cantico El. 107, cuius causam probabilem in fine dissertationis allaturum me esse spero. De eo autem, quod fr. 938 exstat *δεσπότειρα* a Polluce 3, 73 servatum, cuius verba sunt *δέσποινα. οὐ γὰρ προσίεμαι τὴν Σοφοκλέους δεσπότειραν*, infra etiam dicendum erit; *εὐνήτειρα* denique OT. 1101 coniectura quidem optima est, quam supra p. 20 probavi, traditum tamen non est. Quod autem Sophocles formam femininam reiciebat, non minima e parte efficiebatur nominum quae tractamus significatu, qua eadem de causa Aristophanes unum *Σώτειρα* usurpabat, Ra. 378 de Proserpina dictum, neque ceteri comici ulla alia forma utebantur. Audenter igitur egisse videtur Meinekius, qui Teleclidis fr. 62, ubi Photius glossam *μέμφειραν* explicavit *τὴν μέμψιν*, corrigere maluit *μέμπτειραν, τὴν μεμφομένην*, nisi forte hanc glossam ex elata quadam comoediae parte sumptam esse putamus.

Ut inter ea in *τωρ*, ita ne inter haec quidem nomina, quae exeunt in *τηρ*, formationem denominativam invenimus, quam omnino contra naturam suffixi esse iam dixi. Unus autem a regula recessit Euripides. El. 168 enim legimus *ἤλυθον, Ἠλέκτρα, ποτὶ σὰν αὐλὰν ἀγρότειραν* et ibidem 463 *τῷ Μαίας ἀγροτῆρι κούρῳ*, priore quidem loco correcto secundum Plut. Lys. 15, cum codices praebeant *ἀγροτέραν αὐλάν*, altero autem integro. Euripidem cum alia illa tam multa, quae Troadum maxime, Electrae, Ionis temporibus novabat, tum hoc nomen ipsum formasse statuere non dubito, et certo quidem consilio, ut in cantico exquisitius quid proferret, cum Or. 1270, al. nomen *ἀγρότης* usurparet suffixo iusto instructum. Audacissime autem egit poeta et formatio eius paene falsa est neque minus singularis quam Sophoclis illud *δεσπότειρα*, qui *δεσπότης* nomen agentis in *της* esse iudicavit idque comparavit cum forma *δεσποτήρ*, a qua femininum illud derivaret. Nominalia enim in *τηρ* exeuntia naturae suffixi repugnant, cum *τηρ* significatum terminationis participialis habeat, neque omnino formabantur a Graecis. *Ἐθελοντήρ* enim et *πεντηκοντήρ* a D'Ooge, qui suffixum *τηρ* nominibus addi solitum esse contendit, falso allata sunt; *αἰχμητήρ* autem verbale esse infra docebo.

Cum nomina, quae in τωρ τηρ exeunt, cursu temporis et apud diversi generis poetas paulatim deminuta esse videamus, inversa res est in eis nominibus, quae suffixo της praedita sunt. Haec enim sunt Graecorum propria ideoque in sermone naturali summo cum studio exculta et usurpata. Suffixum της substantivis etiam adiungebatur, qua de causa distinguendum nobis est inter ea nomina, quae a nomine et illa, quae a stirpe vel a verbo derivata sunt.

Ac primum quidem perlustrabimus ea, quae a mera stirpe et quidem monosyllaba ducta sunt. Neglegendum autem non est pauca admodum eorum esse simplicia, plane aliter atque ea in τηρ. Homerus enim nulla novit nisi βύκτης κ 20, δέκτης δ 248, κλέπτης Γ 11, σίντης Λ 481, τρώκτης ξ 289, ψεύστης Ω 261. Monere non omiserim horum omnium syllabam priorem esse productam, qua de re in universum nonnulla iam dixit Lobeckius[1]). Apud Aeschylum autem tria tantum leguntur simplicia, κλέπτης Pr. 978, τίτης Ag. 72, Eu. 257, Ch. 65, κριτής Pe. 229 aliisque locis[2]). Apud Sophoclem autem leguntur et illa Aeschylea excepto nomine τίτης et ψεύστης An. 1195, πύκτης Tr. 442. Euripides haec praebet: κριτής Al. 801, κλέπτης IT. 1026, κτίτης Or. 1621, μύστης fr. 472, δήκτης fr. 555, ἀτίτης Her. 614. Aristophanes denique non parcius his nominibus utebatur. Leguntur apud eum κριτής Ach. 1224, κλέπτης Eq. 1252, χρήστης Nu. 240, μύστης Ra. 370, ἴτης Nu. 445, πότης Nu. 57, quod item legitur Platonis fr. 190. Hoc autem postremum tantopere abiit in formam adiectivi, ut Th. 735 vel superlativus ποτίστατος legatur. Quod autem exstat σάκτας Pl. 681 ἔπειτα ταῦθ' ἥγιζεν ἐς σάκταν τινά, quo modo formatum sit, nondum apertum est[3]); propter significatum et formam illo loco miram nomen agentis accipiendum certe non est. Aliter autem res se habet Strattidis fr. 47, ubi de Thebanorum stultitia verba fiunt, qui medicum vocant σάκταν, i. e. saginatorem.

Suffixum της posterius idemque ad omnem usum habilius est quam τηρ. Duabus autem rebus probatur haec sententia. Ac prima quidem ea est, quod ea nomina, quae a stirpe bisyllaba ducta sunt, dico ἀχέτης Pr. 597, γαμέτης Pr. 925, ὑπηρέτης Pr. 986, γενέτης Se. 191, ἱκέτης Su. 21, ἡγέτης Se. 785, apud Sophoclem βρεμέτης An. 1116, ὀφειλέτης Ai. 590, εὐεργέτης An. 284, alia multa apud Euripidem et Aristophanem, quorum analogia facta sunt οἰκέτης, εὐνέτης, φυλέτης, omnia ne uno quidem excepto exeunt in της, numquam in τηρ. Altera autem res haec est. Cum copia ver-

[1]) Paralipomena Grammaticae Graecae p. 427.

[2]) Accentum esse singularem observavit Herodianus mon. 40, 16. An analogia eum positum esse putamus nominum in τηρ, praesertim cum κριτής primum syllabam priorem habeat brevem?

[3]) Cf. Leo Meyer Handbuch s. v.

borum explicaretur et excoleretur, nomina in *της* usurpabantur ad formanda composita, cum nomina in *τηρ*, quae antiqua et immobilia erant, in sermone tantum artificioso cum aliis vocabulis coniunctionem inirent. Ita autem factum est, ut permulta simplicia in *τηρ*, composita eorum in *της* exirent, velut *στατὴρ προστάτης, ὀπτὴρ κατόπτης, ποτὴρ συμπότης, ἐλατὴρ ἱππηλάτης, δαίτωρ χρηματοδαίτης, βατὴρ ναυβάτης διαβήτης, φατὴρ κακοφάτης προφήτης, ἱκτὴρ ἱκέτης, βοτὴρ συβώτης, θυτὴρ μηλοθύτης* multaque alia. Saepe autem in his nominibus accidit, ut vetus simplex certum quendam significatum assumeret, in composito sollemnis verbi vis servaretur, velut *στατὴρ προστάτης, βατὴρ ἐπιβάτης, ποτὴρ συμπότης.*

Non pauciora quam a stirpe derivata sunt ab ipso verbo nomina in *της*. Apud Aeschylum autem leguntur haec: A verbis contractis ducta *ἐπιτιμητής* Pr. 77, *θρηνητής* Ag. 1059, alia, quae omnia oxytona sunt [1]). Eundem accentum assumpserunt ea, quae a verbis in *αζω* et *ιζω* derivata sunt, velut *ὑβριστής* Pr. 743, *παλαιστής* Pr. 952, *πεμπαστής* Pe. 984 et ea, quorum origo satis perspecta nondum est, *τευχηστής* Se. 631, *ἀλφηστής* Se. 755, *ἀργηστής* Se. 60. Barytona etiam nonnulla, quamquam pauca, leguntur, velut *δυνήτης* Pe. 678, *πελάτης* Pe. 50, *ἀγύρτης* Ag. 1272, de cuius accentu ipsi veteres grammatici dissentiebant. Ceteri, et tragici et comici poetae, in formandis huius modi nominibus similiter egerunt, nisi quod in comoedia barytona illa prorsus desunt.

Restat denique, ut pauca dicam de nominibus denominativis. Horum autem ducant agmen ea, quae abiectis consonantibus *ς* aut *ν* finientibus suffixum *της* assumebant, velut *ναύτης* Pr. 753, *βούτης* Pr. 590, *πρεσβύτης* Eu. 734, *τοξότης* Ag. 633, *ἱππότης* Hec. 710; sequantur ea, quae suffixi *ιτης* ope formata sunt, dico *ὁπλίτης* Hec. 699, *λοχίτης* Ag. 1650, *πολίτης* Se. 174. Ab adiectivis ducta sunt nomina, quae exeunt in *ιωτης*, velut *βακχιώτης* OC. 678, *ἑστιώτης* Tr. 954, *πατριώτης* OT. 1091, *νησιώτης* Pe. 393. Alia sunt *πολιήτης* Pe. 559, *δεσμώτης* Pr. 120, *πυργώτης* Se. 333. Eius modi etiam nomina, quae sunt *ἀλήτης, πλανήτης, αἰσυμνήτης, κυβερνήτης*, inter denominativa numeranda sunt, quod iam a vetere grammatico observatum esse inveni in Etym. Magno 61, 55 [2]). Causa autem, cur haec et similia dicam nominalia, ea est, quod, ut uno verbo dicam, paroxytona sunt. Nullius enim omnino nominis denominativi in *της* syllaba postrema sono elata est in totis Graecorum litteris. Neque in tali accentu est quod quis miretur, cum nomini suus sonus vel addito suffixo servetur, et ipsa stirps novi

---

[1]) Hic accentus observatus iam est a scholiasta illo, qui ad E 158 annotavit: *τὰ γὰρ εἰς της λήγοντα ῥηματικὰ ὑπὲρ δύο συλλαβάς, φύσει μακρᾷ παραληγόμενα, ὀξύνεται, τορευτής, ἀθλητής*, al.

[2]) *Καὶ δεῖ γινώσκειν, ὅτι ὥσπερ τὸ κομήτης καὶ πεδήτης καὶ πλανήτης, οὐ ῥηματικὰ ἀλλὰ παρώνυμα ἀπὸ τοῦ πέδη καὶ πλάνη καὶ κόμη, οὕτως καὶ παρὰ τὸ ἄλη, ὃ σημαίνει τὴν πλάνην, γίνεται ἀλήτης.*

vocabuli magis appareat, conferas e. g. αὐλήτης et αὐλητής quam diverse sonent. Apertum autem mihi est Graecos suum suffixum της initio nominibus tantum adiungere solitos esse, quippe cum ad verbalia formanda τηρ illud a maioribus accepissent necdum reiecissent. Deinde autem, cum significatus nominalium ad verbalem accederet natura sua, cf. τοξότης, ἀγρότης, suffixum της ad verbalia translatum est, qua in re accentum prioris illius τηρ accepit ita, ut, cum nomina a stirpe ducta naturam nominalium sequerentur, vera illa verbalia in της omnia fere oxytona fierent paucis quae supra attuli exceptis, quorum tamen de accentu plerumque dissentiunt grammatici. Hac de causa ἀλήτης, πλανήτης, alia non esse verbalia contendo.

Eadem autem est causa, qua nomen ἀσπιστής, quod legimus Io. 198, El. 444, nominale dicere non possum, quod Kuehnerus[1]) et Leo Meyer[2]) ab ipso substantivo ἀσπίς derivaverunt, cum Brugmannus[3]) ausus non sit rem diiudicare. Si enim illi viri docti recte iudicassent, scribendum esset ἀσπίστης, ut κεράστης legitur Pr. 701, Cy. 52. Accedit quod formis illis parallelis, quas iam attuli, ἀσπιστήρ Aesch. Su. 188 et ἀσπίστωρ Ag. 413 illorum sententia refutatur, et suffixis τηρ τωρ verbalis origo demonstratur. E verbis autem compositis, quae exstant, παρ- et συνασπίζειν elicimus simplex ἀσπίζειν, quod nominis fundamentum esse dicamus. Non autem aliter res se habet in Homerico illo κορυστής Il. 16, 603 et αἰχμητής Hec. 118, Or. 754, de quo supra p. 77 pauca iam dixi. Ne κηδεστής quidem (Al. 731, Hec. 834) ab ipso nomine κῆδος ducendum est, quod Leo Meyer[4]) contendit, praesertim cum forma feminina sit κηδέστρια, de quo genere formandi mox dicam. Quo denique modo πενεστης Her. 639, Ve. 1274 sono efferendum esset, inter ipsos veteres grammaticos non convenit. Num Stephanus Byzantinus s. v. analogiam nominis Ὀρέστης secutus recte praeceperit πενέστης, dubitari summopere potest.

Ut autem celerius cognosci et melius comparari possit, quae sit ratio numeris expressa singulorum nominum generum apud singulos poetas, hanc addo tabulam.

		Aesch.	Soph.	Eur.	Arist.
τωρ		31	11	20	1
τηρ		44	26	30	13
της	verb.	39	50	61	62
	nom.	18	24	27	28

[1]) l. l. I 2, 295.

[2]) Handbuch II 275.

[3]) Grundr. II 1, 226.

[4]) Handbuch II 275.

Quae ut recte intellegatur, monendum est singulas stirpes semel tantum numeratas esse, non quotiens eaedem inveniantur; ne compositorum quidem habita est ratio. Itaque hi numeri, etsi singulorum poetarum fabulae numero discrepant, imaginem tamen satis accedentem ad verum usum praebent, cum copia verborum absoluta eodem progressu, quo numerus fabularum, non crescat, neque cuiusquam adeo paucae servatae sint fabulae, ut multa eius verborum ignota nobis esse putare debeamus.

Multo varior et excultior, quam nominum in *τωρ* et *τηρ*, feminina forma est eorum, quae in *της* exeunt[1]), quam Graeci, cum nullam a maioribus accepissent, ipsi sibi formare debebant. Atque fecerunt quidem illud analogiam secuti nominum, velut *δεσπότης δεσπότις*, *ἀκοίτης ἄκοιτις*, *ἠεροφοίτης ἠεροφοῖτις*, aliorum. Haec terminatio *τις* nominalibus primum adiungebatur eorumque propria facta est, *δημότις*, *φυλέτις*, *δεσμῶτις*, al., cuius usus apud Homerum duo inveniuntur exempla *ληῖτις* *K* 460, *χερνῆτις* *M* 433. Illa etiam, quae ab ipsa stirpe, et monosyllaba et bisyllaba, derivabantur, femininum *τις* assumebant, velut *προδότις* Hel. 834, *οἰνοπότις* Th. 393, *τριτοστάτις* Arist. fr. 487, *ἐργάτις* Eur. El. 100, *ἱκέτις* Hel. 894, *ἀρχηγέτις* Ly. 644, ea tamen condicione, ut prior syllaba esset brevis. Homericum enim illud *δασπλῆτις* *ο* 234 et Aristophaneum illud *πλᾶτις* Ach. 132 contractione orta esse videntur. De paucis autem eis, quae ab hac regula recedunt, mox verba faciam.

Quod nonnumquam forma masculina exstat pro feminina, velut Al. 121 *μηλοθύτης ἐσχάρα*, Aesch. Su. 649; 822, ubi mulieres *ἱκέται* dicuntur, tragoediae proprius usus est[2]), quem Sophocles et Aristophanes suum non fecerunt, cum nominum genus, ut supra exposui, acrius distinguere solerent. Nominum in *τωρ* et *τηρ* tamen ille etiam similem usum admittebat, quippe quae elatiora et magis tragica essent.

Iam autem quaeritur, quae sit forma feminina nominum vere verbalium in *της*. Haec quidem analogia illorum in *τηρ* facta esse ex ipso accentu ab aliis diverso cognovimus, ita ut femininum etiam, quod ad illa respondeat, exspectemus. Apud Homerum quidem eorum forma feminina prorsus non invenitur. Unius cuiusque nominis in *της* formam parallelam in *τηρ* fingere sibi sumpsit ille, a quo femininum *τειρα* derivaret. Post eius autem aetatem forma quae est *τρια* in usum venit. Tragoedia autem, quae talem nominis correptionem omnino non amabat, cf. formas *πατέρος*, *θυγατέρος*, al., hanc etiam formam correptam e *τειρα*, *τερια* raro usurpabat, cum aut masculina forma aut feminina *τειρα* uti posset. Pauca tantum exstant exempla: *ἠλεμίστρια* Ch. 423, *φαιδρύντρια* Ch. 755, *ἀγύρτρια* Ag. 1272; apud Sophoclem *μαιεύτρια* fr. 95, *θηλάστρια* fr. 94, quod Hesychius Ionicum esse dicit,

[1]) Cf. Kuehner l. l. I 2, 270; Brugmann Grundr. II 1, 354.

[2]) Cf. ea quae in primo capite et p. p. 76 et 77 disceptavi; Wilamowitz ad Hi. 1103.

εὐνήτρια Tr. 922 [1]); Euripides praebet πενθήτρια Hi. 805, μορφώτρια Tr. 437. Apud comicos autem haec forma sollemnis est, velut ἐράστρια Th. 392, λαικάστρια Ach. 529, νυμφεύτρια Ach. 1056 multaque alia leguntur. Eadem haec terminatio τρια nominibus a stirpe derivatis addebatur, si prior syllaba aut natura longa erat aut in consonantem cadebat, ita ut positione produceretur. Huius autem generis nomina apud tragicos duo inveni, Hi. 589 προμνήστρια, Ionis fr. 22 ψάλτρια, quibus addantur Aeschyleus titulus Ξάντριαι et Sophocleus Πλύντριαι. Plura exstant apud comicos poetas, προμνήστρια Nu. 41, συλλήπτρια Arist fr. 864, βάπτρια Eupolidis fr. 401, συβώτρια Platonis fr. 211, πανδοκεύτρια Ve. 35, συκοφάντρια Pl. 970, alia.

Duo tantum, quorum quidem syllaba prior longa est, in τις exeunt, dico commune illud προφῆτις et tragicum παμβῶτις, quod legitur Soph. Ph. 391, cum apud Platonem comicum modo invenerimus συβώτρια. Haec autem nómina vetera et formam illam priorem, velut ἡεροφοῖτις, secuta esse recte credere mihi videor.

His autem paucis exceptis, quae sermoni elato attribuenda sunt, formam femininam nominum in της sic formari solitam esse contendimus, ut nominalia assumerent τις, ceterorum ea, quorum quae exstat ante terminationem syllaba cadebat in brevem vocalem, idem τις, cetera τρια. Brevibus enim syllabis τρια nusquam adiungi solebat, cum παιδολέτρια, προστάτρια, ὑποστάτρια, quae Buttmannus [2]) attulit, postremis Graecorum temporibus formata sint, neque eis de usu optimorum temporum quicquam probetur. Differentiam autem inter usum tragicorum et comicorum statuere non audeo, nisi quod apud hos numerus nominum in τρια exeuntium multo maior est, cum verbalia in της praevalere tabula quam p. 80 dedi demonstratum sit, et saepius comicis forma feminina esset utendum, cum tamen non haberent, ut tragici poetae, qua alia terminatione illud genus designarent.

Eodem modo nomina illa in τηριον, velut δικαστήριον, quibus, cum a nominibus in της imprimis deriventur, της locum suffixi τηρ occupasse demonstratur, in comoedia frequentissima sunt, cum contra apud tragicos raro legantur, apud Homerum omnino desint. Ad quantum autem studium verbalis terminationis τρια Aristophanes processerit, probatur glossa illa ναύτριαι, quae fr. 825 servata est, de qua infra pauca dicenda sunt [3]).

Feminina autem terminatio τις ut stirpi verbali adderetur, in comoedia fieri prorsus non poterat. Nu. 730 enim τίς ἂν δῆτ' ἐπιβάλοι ἐξ ἀρνακίδων γνώμην ἀποστερητίδα mutaverunt critici in ἀποστερητρίδα [4]),

---

[1]) Nauckius stud. Eur. II 175 scribere maluit εὐνάτριαν, Lobeckius Phryn. 204 utramque formam rectam esse dixit.

[2]) Griech. Sprachl. 2 ² p. 425.

[3]) Quantopere in usum venerit suffixum τρια cognosci etiam potest ex eis quae modo attuli προστάτρια, aliis.

[4]) De hac terminatione verba fecit Lobeckius Phryn. 255.

quo loco neminem incidisse in melius illud ἀποστερήτριαν valde miraberis, si contuleris quae infra de terminatione τρις dicam. Itaque fragmentum illud τῶνδε βούλευτις πόνων, quod in Etym. Magno 595, 40 non addito poetae nomine servatum legimus e fabula quadam Ξάντριαι, quo demonstrare voluit grammaticus eodem modo, quo barytonum, velut πλανήτης, oxytonum illorum trium βουλευτής, αἰχμητής, ὑβριστής terminationem femininam τις non semper sono efferri, vindicare non dubito fabulae illi Aeschyleae (fr. 172), quamquam similis forma ne apud eum quidem legitur. Meinekius contra (2, 646) coniciens post πόνων nomen excidisse Πλάτων comico ea verba tribuit (fr. 88 K.). Ceterum vocis ille accentus, quem grammaticus dedit, nisi in illis tribus vocabulis non invenitur; βουλευτίς autem, quod Nauckius dedit, non minus singulare esset neque defendi posset aut nomine αἰχμαλωτίς Hec. 615, Ai. 71, 1228, cuius forma masculina in της omnino non exstat, aut singulari illo ναυτίς comici Theopompi fr. 97 [1]), cuius accentum non minus suspectum esse puto quam totum illud praeceptum, quod grammaticus in Etym. Magno dedit, cum propter vocabuli sonum tum propter suffixum τις nomini verbali additum.

Praeter duas illas feminini formas, de quibus adhuc disputavi, tertia etiam exstat, dico τρις, quam veterem esse linguis propinquis demonstratur, in Graecorum tamen usu artis finibus circumscriptam fuisse videbimus. Homerus enim praeter πατρίς nullum novit exemplum nisi ἀλετρίς υ 105 φήμην δ' ἐξ οἴκοιο γυνὴ προέηκεν ἀλετρίς. Magis etiam quam τρια hanc formam tragici reiciebant poetae. Aeschylus et Euripides omnino eam ignorabant; fr. adesp. 585 legimus ἀλεκτορίς, quod ut simile hoc loco affero; Sophocles scripsit fr. 794 ποππύζεται ζευγηλατρίς. Comici autem maiore ambitu illam terminationem adhibebant et ita quidem, ut originem eius cognoscere possimus. Ἀλετρίς enim Ly. 644 puella dicitur quae deae molit; Arist. fr. 841 tradita est glossa πλυντρίδες, quam Photius s. v. λουτρίδες explicavit δύο κόραι περὶ τὸ ἕδος τῆς Ἀθηνᾶς. Apparet igitur haec nomina vetera esse, quae cultu deorum servata erant, cum in usu sollemni essent πλύντρια, al., neque dubito, quin eodem illo respectu dicta sint initio ὀρχηστρίς et αὐλητρίς, quae compluries leguntur apud Aristophanem. Quae autem cetera ea terminatione praedita inveni, sunt haec: γῆ σμηκτρίς Eupolidis fr. 380, Cephisodori fr. 6, ᾠα λουτρίς Theopompi fr. 37, μυρρίνη στεφανωτρίς Apollophanis fr. 5, γνώμη ἀποστερητρίς coniectura illud factum Nu. 730. Multa etiam apud Hippocratem et Herodotum leguntur, velut σμηκτρίς, ἀκεστρίς, alia. Iam autem αὐλητρίς et ἀλεκτορίς apud Iones orta esse significatu eorum satis demonstratur et confirmatur Ionis fr. 39 ἐπὶ δ' αὐλὸς ἀλέκτωρ Λύδιον ὕμνον ἀχέων. Cum deinde Homerus exemplum praebeat et Sophocles, poeta ἰωνικώτατος, unus e tragicis terminationem

[1]) Cf. Lobeck Phryn. 256.

τρις exhibeat, praesertim illius compositi, quod ab Attica dialecto alienum erat, ita ut ἱππηλάτης (Soph. fr. 559) ab Antiatticista p. 97, 33 laudatum sit, cum denique apud Pindarum et Doricos poetas nullum nisi externum illud ἀλεκτορίς legatur, non nimium contendere mihi videor hanc terminationem Ionum propriam fuisse, ab Atticis autem servatam esse paucorum nominum, quorum similia posteriore aetate, quam hoc loco non curamus, facta sunt plura, velut μαθητρίς, alia.

Haec dicenda erant de formatis feminini generis formis. Iam pauca verba faciam de compositionibus, quas inibant nominalia in της.

Cum nomina verbalis significatus cum substantivis, ut παιδολετήρ, συκοφάντης, et praepositionibus coniungi solerent, nominalium erat e natura sua fugere talia πάθη. Aeschylus ea cum praepositionibus quidem nusquam coniunxit, sed tamen formavit πολυναύτης Pe. 84, χιλιοναύτης Ag. 45, utrumque in cantico positum. Ceteri tragici talia ignorabant; Aristophanes autem similia effinxit, velut ἱπποτοξότης Av. 1179, χαυνοπολίτης Ach. 635, μικροπολίτης Eq. 817, διαδρασιπολίτης Ra. 1014. Cum praepositionibus autem coniuncta nominalia liberiore etiam sermone rara sunt. Συνθιασώτης legimus Ve. 728, Pl. 508; Euripides usurpavit in Cy. fabula συνναύτης v. v. 425, 708; apud Sophoclem exstat Ai. 501 ὁμευνέτιν. Alia tamen composita non leguntur, cum praepositio verbo, non nomini addatur[1]), et ea quae attuli propter verbalem tantum significatum et formam nominum usurpata sunt. Non dicebant Graeci συμφυλέτης, συμπολίτης, sed φυλέτης, πολίτης, δημότης Ach. 568, Me. 224, Ach. 319, Plato Gorg. 504 E aliisque locis. Pauca illa composita, quae modo attuli, a sincera tragoedia prorsus reiciebantur. Itaque Her. 826, ubi Euripides regem cives alloquentem facit ὦ ξυμπολῖται, causa huius usus quaerenda est. Atque ea quidem esse videtur, quod poeta blandiri voluit civibus patriae suae, in qua regem civibus auctoritate parem fuisse dicebat neque eos supergressum esse, quam eandem sententiam a Theseo explicari facit poeta in Supplicum fabula. Neque forte accidisse dico, quod alterum illud ξυμπολίτης, quod traditum est fr. 390[2]), in ipsa Thesei fabula locum habuit, ita ut summa cum probabilitate eodem modo explicari possit. Num autem eandem causam afferre liceat Ai. 901/2, ubi chorus exclamat

ὤμοι, κατέπεφνες, ἄναξ,
τόνδε συνναύταν, τάλας[3])

summopere potest dubitari. Tecmessa quidem est ὁ μ ε υ ν έ τ ι ς Aiacis, sed chorus non est σ υ ν ν α ύ τ η ς, sed ναύτης domini sui. Aiax enim viros suos

[1]) Cf. Kuehner l. l. I 2, 321.

[2]) Pollux 3, 51: συμπολίτης οὐ δόκιμον, εἰ καὶ Εὐριπίδης αὐτῷ κέχρηται ἐν Ἡρακλείδαις τε καὶ Θησεῖ.

[3]) Stropham sanam esse puto; antistrophae versibus 947/8 sequor Hermannum scribentem διссῶν ἐθρόησας ἄναυδ' | ἔργ' Ἀτρειδᾶν τῷδ' ἄχει.

vocavit *ναυβάτας* 348, ministros 356, et chorus ipse minorem se esse dixit 154/5, 368 aliisque locis, ita ut *συνναύταν*, quo vocabulo hic domino suo se aequiperaret, ipsius chori sensui non convenire iure contendere mihi videar. Lenissima autem mutatione restituo *σὸν ναύταν*, quocum conferas praeter ea quae attuli versum etiam Hel. 1070, ubi Helena marito dicit *σὲ καὶ παρεῖναι δεῖ μάλιστα τούς τε σοὺς πλωτῆρας*.

Restat denique, ut extrema hac prima capitis parte nonnulla dicantur de formis parallelis in *τωρ τηρ της* ab una stirpe derivatis[1]), quibus magis cognoscatur, quantopere ea suffixa aliud pro alio aut usurpata aut reiecta sint. Omittam autem ea composita, quae in *της* formata a simplicibus in *τηρ* exeuntibus supra iam p. 79 attuli.

Apud Aeschylum quidem plurimae formarum parallelarum sunt in *τωρ* et *τηρ*. *Ἵκτορας* Su. 661 *ἱκτῆρος* Su. 488, *παιδολέτωρ* Se. 713 *ἀνδρολέτειραν* Se. 301, *μνήστορες* Se. 164 *μνηστῆρος* Pr. 766, *δυσευνάτορας* Se. 280 *εὐνάτειραν* Pr. 924, *δαίκτορος* Su. 806 *δαικτήρ* Se. 900, *ἀσπίστορας* Ag. 413 *ἀσπιστῆρα* Su. 188, *μαστίκτορος* Eu. 159 *μαστικτῆρα* Su. 475. Parallelas autem formationes in *τηρ* et *της* has legimus: *τευχηστήρων* Pe. 904 *τευχηστήν* Se. 631, *θρηνητῆρος* Pe. 940 *θρηνητοῦ* Ag. 1059. Apud Sophoclem prioris illius generis habemus tantum *οἰκήτορα* Ai. 396 et *οἰκητῆρα* OC. 627; et *τηρ* et *της* in his leguntur exemplis: *ἡγητῆρος* OC. 1521 *ὑφηγητῶν* OT. 966, *οἰκητῆρα* OC. 627, *οἰκητοῦ* OT. 1450, *ἀσπιστῆρες* Ai. 565 *ξυνασπιστάς* OC. 379. Euripidea autem haec sunt: *ἀγήτωρ* Me. 426 *προηγητῆρα* Ba. 1159, *παιδολέτορ* Me. 1393, *παιδολέτειραν* Me. 849, *γενέτωρ* Io. 136 *συγγενέτειρα* El. 746; alterius generis haec leguntur: *κομιστῆρας* Hec. 222 *κομιστήν* An. 1268, *ἀσπιστῆρες* Her. 277 *ἀσπιστάς* El. 444, *ὀλβοδότειραν* Ba. 419 *προδόταν* Me. 206, *συγγενέτειρα* El. 746 *γενέταις* Io. 1130.

Monendum autem est exemplorum singula tantum laudata esse, ita ut eis quae attuli colligere nihil liceat de temporis ordine, quo tria illa nominum genera maxime usurpata sunt. De eo enim statui nihil potest. Quod autem omnino formae parallelae esse poterant, ea re maxime demonstratur, quam plane illorum suffixorum aliud alius locum occupare potuerit. Monere non omiserim legentem pauciores esse formas parallelas in *τηρ* et *της* apud Aeschylum quam illas in *τωρ* ct *τηρ*, apud Sophoclem autem et Euripidem plures, qua re, et quantum differant origine *της* et *τωρ τηρ*, et quantum cursu temporis illud ad haec accesserit, cognoscitur.

Non inutile erit hoc loco breviter conferre, quae ratio intercedat inter formationes Homeri et posteriorum scriptorum. Apud illum enim res ita se habet, quod D'Ooge l. l. p. 17 exposuit, ut septem sint nomina, quae tria omnia assumebant suffixa. E ceteris uno et quinquaginta vocabulis in *τωρ τηρ* viginti sex apud posteriores in *της* exeunt. Duodecim, quae apud

---

[1]] Cf. Kuehner l. l. I 2, 270/1.

Homerum *τῆς* habent, a posteris aut in *τωρ* aut in *τηρ* formata sunt. Addere autem debuit D'Ooge omnia haec esse artificiose efficta, velut *ἀγροτήρ* Eur. El. 168, 463, *αἰχμητήρ* Oppiani Cyn. 3, 211, *ἀκοντιστήρ* Eur. Ph. 140, *ἀσπίστωρ* Ag. 413, alia, quorum nullum in sermone vulgari usurpabatur, ita ut nominum usum in hanc partem propagatum esse dicere non liceat.

Ut autem ad poetas, de quorum sermone ago, redeam, restat, ut dicamus apud Aristophanem ceterosque omnes comicos ne unum quidem par nominum inveniri ab eadem stirpe derivatum, diversis tamen terminationibus praeditum. Unum illud, quod Arist. fr. 566 legimus, *τὸν Φρύγα τὸν αὐλητῆρα τὸν Σαβάζιον* comparari posset cum nomine *αὐλητής*, quod, etsi nusquam legitur, formari tamen potuit a comico, nisi fragmentum illud elate dictum esse per se appareret. Illius autem usus circumscripti causa repetenda est a significatu diverso et diligentissime distincto[1]) non tam suffixorum quam notionum, ad quas designandas suffixa illa usurpabantur. Eum autem significatum nunc cognoscemus.

Pars Secunda.

Nominibus in *τωρ* significatur is aut, cum feminina forma non exstet, ea, qui aut quae perficit actionem, quae in verbo inest, qua in re nihil referre verbum illud generis nonnumquam medii esse vix est quod dicam, velut legimus Se. 305 *καὶ πόλεως ῥύτορες στάθητε*, Se. 280 *δυσευνάτωρ*, al. Substantiva autem a tragicis dicebantur de hominibus tantum, cum apud Homerum secundum illa, quae in *τηρ* exeunt, *Ω* 272 *ἕστωρ* dicatur clavus anteriori parti temonis immissus.

Comicos ex his nominibus unum *ῥήτωρ* novisse iam dixi, significatu illo noto praeditum, qui ipsorum Atticorum dialecto effectus esse videtur, quippe apud quos solos *ῥήτορες* exstiterint. Apud Homerum enim hoc nomen omnino non legitur, neque apud tragicos eius vis sollemnis illa est, quam Euripides e. g., ne vocabulo *ῥήτορος* uteretur, toto versu significavit, qui est Io. 602 *τῶν δ' αὖ λογίων τε χρωμένων τε τῇ πόλει*. Ubicumque autem legitur hoc nomen, simplicem verbi vim retinuit; Soph. fr. 986 *ῥήτωρ* est *ὁ τὴν ἰδίαν ἀποφαίνων γνώμην κριτής*, apud Euripidem sunt Hec. 124 *ῥήτορες μύθων* ei, qui certa illa verba in concilio faciunt. Sollemnem autem illum significatum invenimus uno Eur. fr. 597, e Perithoi fabula sumpto, de cuius tamen auctore dubitant viri docti, quamque Wilamowitzius HF. vol. I[1] p. 39 Critiae vindicasse recte videtur.

Generis autem passivi nomina in *τωρ* finita ante Euripidis aetatem non exstant. Aeschyli enim versu Su. 1 *Ζεὺς μὲν ἀφίκτωρ ἐπίδοι προφρόνως* active intellegendum est *ἀφίκτωρ* eademque sermonis brevitate

---

[1]) Cf. ea quae in fine primi capitis dixi.

dictum est, qua legimus Ζεὺς ἱκέσιος, προστρόπαιος, ὁμαίμων, alia multa. Invenitur autem vis passiva apud Euripidem, qui Ph. 163 sqq. Antigonam facit exclamantem εἴθε δρόμον νεφέλας | ποσὶν ἐξανύσαιμι δι' αἰθέρος | πρὸς ἐμὸν ὁμογενέτορα, Polynicem scilicet[1]). Quo autem modo hoc passivum explanare conatus sim, infra, cum dissertatio ad nomina in της pervenerit, dicam.

Significatus nominum, quae in τηρ exeunt, idem est qui illorum in τωρ [2]). Eo tamen recedit, quod haec nomina saepe de vasibus vel instrumentis et de corporis membris, quae illorum vice funguntur, usurpabantur, quae ipsa quasi agentia intellegebantur, velut apud Aeschylum legimus ῥαιστήρ Pr. 56, λαμπτήρ Ag. 22, κρατήρ Ag. 1396, ἀμπυκτήρ Se. 448, apud Euripidem μυκτήρ Al. 493, ποτήρ Al. 756, κρατήρ Io. 1051, ζωστήρ Her. 217 multaque alia. Apud Sophoclem legimus cum alia tum πέπλος ἐνδυτηρ Tr. 674, quod cur passivum intellegatur, velut ἐνδυτός (Eur. Tr. 258), ut et alii fecerunt et Ellendtius, qui vertit „quod induitur", causa ne minima quidem est. Ipsum enim πέπλον accipere debemus induentem plane eodem modo, quo ζωστῆρα cingentem, alia. Eadem est res in Soph. fr. 406, ubi legimus πέπλους τε νῆσαι λινογενεῖς τ' ἐπενδύτας, quod nomen iterum inveni apud Nicocharem comicum fr. 5 φέρε νῦν ταχέως χίτωνα τόνδ' ἐπενδύτην. Hoc autem vocabulum inter passiva in της numerare Lobeckius ad Ai. 241 iniuria mihi videtur.

Cum autem tragici suffixum τηρ cuivis stirpi adiungerent nulla lege cohibiti, comici nomina in τηρ nisi pro instrumentis fere non usurpabant, cum ea, quae de hominibus dicta leguntur, pauca certa et vetera nomina sint, aut sumpta e sermone iudiciali et sacro aut externa vel in canticis locum habentia. Nominum autem in τηρ apud Aristophanem praeter illa de instrumentis dicta, quae supra iam p. 76, cum de formatione agerem, attuli, de hominibus usurpata haec tantum inveni: ἐλατήρ Eq. 1265 in cantico, σωτήρ Eq. 149 aliisque locis non paucis, πλωτήρ Ec. 1087, κλητήρ, quod in Ve. fabula bis (189, 1310) in asini significatum abire iussit comice poeta. Horum autem nominum κλητήρ sumptum est e sermone iudiciali et antiquum esse videtur; σωτήρ non raro cum nomine Διός coniungi solet, velut Ra. 738 νὴ τὸν Δία τὸν σωτῆρα, Th. 1009, al., ita ut origo eius quae sit appareat; πλωτήρ denique ionicum esse ipsa forma demonstratur, neque dubitari potest, quin id nomen e primis navigationis temporibus servatum sit.

---

[1]) Passive intellegi non debet, quod legimus Io. 477 sqq. νεάνιδες ἥβαι, διαδέκτορα πλοῦτον ὡς ἕξοντες ἐκ πατέρων ἑτέροις ἐπὶ τέκνοις. Hermannus recte annotavit: „Translatum est ad divitias, quod de earum possessoribus dicendum erat. Opes intellegit alium atque alium deinceps habituras dominum."

[2]) Cf. Brugmann Grundr. II 1, 353.

E fragmentis autem comicorum de instrumentis dicta haec afferri possunt nomina agentis: *κλιμακτήρ* Arist. fr. 277, *στρωτήρ* fr. 72, *ἑλικτήρ* fr. 320, *ἀλτήρ* Cratetis fr. 11, *ἀρτήρ* Pherecratis fr. 38, *ποδανιπτήρ* Amipsiae fr. 2, *βατήρ* eiusdem fr. 26 *ἐπ' αὐτὸν ἥκεις τὸν βατῆρα τῆς θύρας*, quod caveas ne passive intellegas, ut Pollux 2, 200 fecit explicans *τὸν οὐδὸν ἐφ' οὗ βαίνομεν*. Ceteris omnibus, quae conferre potui, exemplis haec sententia impugnatur, et satis demonstratur nomen *βατήρ* habere significatum causativum, ut *ἀλτήρ* quod modo attuli, *κλιντήρ* Od. 18, 190, alia[1]). Hesychio enim *βατήρ* est primum *ὁ βαίνων*, deinde autem *τὸ ἄκρον τοῦ σκάμματος τῶν πεντάθλων, ἀφ' οὗ ἅλλονται τὸ πρῶτον*, cuius similes sunt explicationes Suidae s. v. et Eustathi p. 1404, 56, cum Bekkeri Anecd. 224, 12 additum sit *Σύμμαχος δὲ τὸ μέσον, ἀφ' οὗ ἁλόμενοι πάλιν ἐξάλλονται*, quibus verbis magis etiam apparet significari tabulam illam, e qua saliunt[2]). Nicander autem Ther. 377 nomen *βατήρ* usurpavit pro ipso scipione, qui scilicet efficit, ut aliquis possit incedere, ita ut omnibus his locis satis cognoscatur vim nominis esse participialem. Ad hanc etiam optime quadrat notum illud *αὐτὸν κέκρουκας τὸν βατῆρα τοῦ λόγου*, i. e. exordium, originem *τοῦ λόγου*, a qua prodit *ὁ λόγος*, ut Suidas explicavit *τὸ ἐπικαιρότατον καὶ πρῶτον*. His autem cognitis exemplis intellegimus etiam, quo modo *βατήρ* pro *οὐδός* dictum esse potuerit, quod versu illo Amipsiae invenimus, et Suidas et Hesychius contenderunt s. v. *οὐδός*. Cum enim nusquam nisi apud duos illos grammaticos legatur *οὐδὸς θύρας*, sed semper *οὐδὸς οἴκου*, similia, ita intellego *βατῆρα θύρας* (cf. Ch. 569), ut sit id, quod quasi facit, ut porta incedat, quo quasi pede porta insistit, pes portae. Haec est mea interpretatio nominis. Passivum autem vocabuli genus defendi potest uno illo Pollucis loco, quo *βατήρ* est *ὁ οὐδὸς ἐφ' οὗ βαίνομεν*, quae verba quid sibi velint nescire me confiteor neque dubito, quin scribendum sit *ἀφ' οὗ*.

Sed redeamus ad ordinem propositum. De hominibus dicta in fragmentis comicorum haec inveni: Arist. fr. 566 *τὸν Φρύγα τὸν αὐλητῆρα τὸν Σαβάζιον*, quo de versu p. 86 iam dixi; Plato praebet fr. 126 magistratus titulum *ἁρμοστήρ*, qui e Lacedaemoniorum illo deformatus esse videtur. Pollux autem 3, 125 haec dedit: *πρατήρ, μεταβολεύς, πωλητής. Ὑπερείδης δὲ καὶ πράτην εἴρηκεν, πωλητήριον δὲ Ἕρμιππος* (fr. 93), ubi *πωλητῆρα* correxerunt viri docti. Ipsis autem lexicographi verbis elucet hoc nomen, si modo recte restitutum est, singulare fuisse apud poetam illum. Hac etiam causa usus circumscripti Teleclidis illo fr. 62 cum Meinekio non restituemus *μέμπτειραν*, de qua forma pauca iam verba feci p. 77.

---

[1]) Cf. similia illa in *μα*, quae p. 64 tractavi.

[2]) De huius tabulae constructione sententiae variae prolatae sunt apud Pauly-Wissowa s. v.

Nomina igitur in τηρ finita artis finibus circumscripta esse videmus, ita ut sermo cotidianus ea non usurparet nisi de instrumentis, sim. dicta, quocum conferas ea etiam, quae supra p. 79 de significatu diverso simplicium nonnullorum et compositorum dixi. Huius autem angusti usus luculentum exemplum praebet Rhesi fabula. Pro instrumento enim unum exstat λαμπτήρ 60, 109, et cum termini illi technici, quos apud comicos invenimus, a tragico poeta adhiberi non possent, pro hominibus excepto uno βοτήρ 271 omnia nomina in της formata sunt. Congruit igitur sermo hac quidem re plane cum cotidiano et prorsus recedit ab usu tragicorum, quem tractavi, ita ut iure ab uno ex eis abiudicatam esse fabulam illam concedamus.

Passiva vis nominum in τηρ originem duxit e significatu instrumentorum, ita ut τηρ et ea ipsa et illud, quod ab eis perfectum est, significaret, qui usus apud Graecos prorsus rarus non erat, cuiusque exempla nonnulla infra afferam. Homerus quidem passivum nomen plane ignorabat; κλιντήρ enim, quod D'Ooge l. l. sic intellexit, cum nomine βατήρ modo comparavi. Tragicorum autem et comicorum communia sunt χαρακτήρ Aesch. Su. 288, Me. 519, Pa. 220 et κλωστήρ Ch. 505, Eur. fr. 1001, Ly. 567, 571, Ra. 1349. Apud Sophoclem igitur desunt talia omnino, neque alterum quod attuli ipsius Aristophanis est, quod scholiasta ad Ly. 567 explicare debuit νῦν τὸ νῆμα, quippe cum in usu sollemni non esset. Verba autem Ζεὺς ἱκτήρ apud Aeschylum Su. 488 eodem modo intellegenda sunt, quo Ζεὺς ἀφίκτωρ Su. 1, de quibus p. 86 dixi. Neque vero recte videtur Eur. El. 746

ὧν οὐ μνασθεῖσα πόσιν
κτείνεις, κλεινῶν συγγενέτειρ ἀδελφῶν

Weilius ad locum συγγενέτειραν passive intellexisse sororem Castoris et Pollucis, ut his commemoratis differentia illa inter malam sororem et bonos fratres magis efferretur, cf. versus 990, 1064. Primum enim συγγενέτειρα nusquam fere est passivum, neque Weilius alio teste utitur nisi Plutarcho, qui mor. 677 A Euphorionis versus laudat de leone Nemeaeo ab Hercule interfecto dictos, qui sunt οὐ γάρ πω τρηχεῖα λαβὴ κατεμήσατο χειρῶν Μήνης παῖδα χάρωνα παρ' Ἀσώπου γενετείρῃ, i. e. Nemeae, qui tamen artificiose effecti et posterioris aetatis sunt; deinde dativum fortasse desideraremus, velut ὦ σύγγονέ μοι El. 1308, IT. 86, al.; denique activa nominis vis optima videtur, quod scelus maius fit, si regina maritum non solum, sed patrem etiam communium liberorum interfecisse dicitur. Accedit autem quod ἀδελφοί pro nostro Geschwister dictum usui Euripideo maxime convenit.

Restant igitur passiva nulla nisi χαρακτήρ, κλωστήρ, de quorum origine infra, cum ad tractanda nomina in της pervenerim, verba faciam. Hoc loco de uno tantum vocabulo plura dicenda habeo, cui vim passivam a criticis non recte attributam esse demonstrabo. Agitur enim de nomine ἐλατήρ Ach. 246, ubi filia dicit

ὦ μῆτερ, ανάδος δεῦρο τὴν ἐτνήρυσιν,
ἵν᾽ ἔτνος καταχέω τοὐλατῆρος τουτουί,

et Eq. 1182

ἡ Γοργολόφα σ᾽ ἐκέλευσε τουτουί φαγεῖν
ἐλατῆρος, ἵνα τὰς ναῦς ἐλαύνωμεν καλῶς.

Significatur autem hoc nomine panis vel placenta eodem modo Calliae fr. 21, ubi de simplicibus illis donis, quae choro antiqua aetate dari solebant aliter ac poetae ipsius aetate, verba fiunt[1]) et enumerantur *ἔτνος, πῦρ, γογγυλίδες, ῥάφανα, δρυπεπεῖς, ἐλατῆρες*[2]). Plura huius vocabuli exempla non exstant, quod rarum omnino fuisse neque in omnium usu probatur Eustathi verbis, quae p. 877, 34 leguntur *ὁ δέ γε κωμικὸς καί τι πέμματος οἶδε τὸν ἐλατῆρα, ὡς ἐν τοῖς Ἱππεῦσι δηλοῖ.* Hic panis vel haec placenta nomen duxit, ut scholiasta ad l. et Hesychius et Suidas docent, cum nostrorum temporum neque critici neque editores quicquam ad explicandum contulerint, nomen, dico, duxit *παρὰ τὸ ταῖς χερσὶν ἐλαύνεσθαι εἰς πλάτος*, quae tamen explicatio passiva suspecta mihi videtur. Aliam rationem, qua nomen explicandum sit, me invenisse puto. *Ἐλαύνειν* enim est agere, deinde navem etiam remis agere et propellere, quod eodem versu legimus *ἵνα τὰς ναῦς ἐλαύνωμεν καλῶς*, Od. 13, 155 aliisque locis. Sequitur, ut *ἐλατήρ* esse posset remex[3]), et cum suffixum *τηρ* de instrumentis etiam usurparetur, *ἐλατήρ* ipse remus esse potuit. Huius significatus exemplum non exstat neque in usu sollemni fuisse videtur, sed formatio eius nominis omnibus Graecis primo obtutu perspicua erat. Huius modi igitur remus, i. e. placenta ita formata, non lata sed longa, Demo offertur, et talem remum puella illa in Acharnensium fabula deae dedicatura est, atque in eo maxime acumen loci positum esse puto, quod puella remum non in aquam immergit, ut in bello fieri solet, sed iam, cum pax exstiterit, pulte superfundit. E more enim sollemni dulce aliquod *ἔτνος* placentis illis superfusum esse, ut Kockius ad Equitum l. explanavit, refutatur vers uillo Calliae quem attuli. Hunc nominis significatum quem aperui nautarum Atticorum imprimis proprium fuisse credo, sed tamen exempla exstant alia, quibus Graecos forma alicuius instrumenti panes suos nominasse probatur, velut *κόλλαβος*[4]).

---

[1]) Cf. Fritsch Thesmophor. p. 239.

[2]) Cf. Arist. fr. 253, ubi similis est sensus: ὁ χορος δ᾽ ὠρχεῖτ᾽ ἂν ἐναψάμενος δάπιδας καὶ στρωματόδεσμα διαμασχαλίσας αὐτὸν σχελίσιν καὶ φύσκαις καὶ ῥαφανῖσιν.

[3]) Nonnus 39, 306 πολλοὶ δ᾽ ἔνθα καὶ ἔνθα πολυσπερέων ἐλατήρων πόντον ἀμοιβαιοῖσιν ἀνασχίζοντες ἐρετμοῖς.

[4]) Unam autem formam fuisse eo, quod πέλανος et ὀβολός comparabantur, non recte concluserunt Passovius et Papeius s. v. secuti Suidam et Photium, qui πέλανος explicaverunt ὁ τῷ μάντει διδόμενος μισθὸς ὀβολός et illiciti verbis Nicandri Alexiph. 488, qui de purgaminibus verba faciens scripsit καί ποτε κεδρινέης πελάνου βάρος ἄμμορε πίσσης.

His autem tractatis iam transimus ad cognoscenda ea nomina, quae in της exeunt. Atque agmen quidem ducant nominalia, quorum quae a substantivis derivata sunt significant in universum aut eum, qui cum illis quoquo modo coniunctus est, velut λοχίτης, χωρίτης, δημότης, aut illum, qui id, quod substantivo designatur, colit vel in possessione habet etc., velut ἀγρότης, τοξότης, alia. Ea autem, quae in ιωτης exeunt, secundum originem suam apud tragicos adiectiva semper sunt, dico νησιῶτις πέτρα Pe. 393, στρατιῶτις ἀρωγή Ag. 47, πατριώτης OT. 1091, βακχιώτης OC. 678, νησιώτης Tr. 657, ἠλιώτης Tr. 697, ἑστιώτης Tr. 954. Apud comicos contra ea raro sunt adiectiva, velut λεχὼ στρατιῶτις Eupolidis fr. 256, cum pleraque facta sint substantiva, ut στρατιώτης, quod saepe legitur, ἰδιώτης Ra. 459, ἡλικιώτης Nu. 1006, νησιώτης Pa. 298, alia.

Nomina autem non nominalia in τηs significatu accedebant ad illa in τηρ τωρ exeuntia, ea tamen differentia, ut perraro de instrumentis et vasibus usurparentur. Homerus quidem huius significatus unum κρατευτής novit Il. 9, 214; Aeschylus talia plane reiecit. Sophocles scripsit fr. 406 ἐπενδύτης, de quo iam p. 87 egi; Euripideum est ὀρθοστάτης Io. 1134; προχύτης autem pro πρόχοος dictum, quod Papeius s. v. contendit, apud Euripidem non legitur. Plura autem inveniuntur apud comicos. Plato fr. 42 exhibet στυλοβάτης, quod eodem modo, quo supra p. 88 βατήρ et βάσις, pedem columnae intellego. Philylli fr. 7 et Sosithei fr. 2 legimus μετρητής, apud Nicocharem fr. 5 ἐπενδύτης, apud Aristophanem Av. 1003 διαβήτης.

Angustum igitur esse usum suffixi τηs ad instrumenta significanda adhibiti videmus, et eo maxime ab illis in τηρ differunt nomina in τηs, quod omnia haec quae attuli sunt aut composita aut verbalia, posteriore igitur tempore efficta, quae analogiam priorum secuta pro eis tantum notionibus usurpabantur, quae aetate nominum in τηρ ignotae omnino erant[1]).

Demonstratur autem hoc usu, quantopere suffixum τηs in sermone communi in significatum suffixi τηρ transierit. Ultimis demum temporibus et multo post aetatem, cuius dicendi rationem tractamus, feminina etiam pro instrumentis usurpabantur, velut ξυστρίς, λιβανωτρίς, οὐρητρίς, alia, quae substantiva facta sunt ex adiectivis, quorum pauca p. 83 attuli, ut ᾤα λουτρίς, γῆ σμηκτρίς, alia.

Passivi significatus nomina in τηs, quorum nonnulla attulit Lobeckius ad Ai. 241, cum grammatici nostri taceant omnino, comici prorsus non

---

Immo ea quam dedit scholiasta annotatione ὀβολοῦ ὁλκή cognoscere debuerunt viri illi docti tertium illud comparationis quod dicitur non esse formam sed pondus. Et profecto, ut exemplum afferam, Lacedaemonii primis temporibus utebantur nummis, qui, cum pondus idem esset, et forma longa ὀβελοῦ, quod idem est atque ὀβολοῦ, et rotunda πελάνου erant, de quibus egit Hultschius Gr. und Roem. Metrologie² p. 534.

[1]) Ne Homericum quidem illud κρατευτής vetus est; de libri Il. 9 compositione conferas Robert Studien zur Ilias p. 494 sq.

admittebant. Eandem autem causam, qua adiectiva duarum terminationum et nomina indistincta, velut *τέκνον*, *γόνος*, reiciebant, cum suum cuique suffixo significatum tribuerent, in his etiam repudiandis valuisse puto. Neque vero in sermone elato passiva sunt frequentia. Homerus eius tantum quod est *γενέτης* praebet composita, dico *ἀειγενέτης* *B* 400 et *αἰθρηγενέτης* *ε* 296; Aeschylus novit *πυριγενέτης* Se. 191[1]), Sophocles *γενέτης* OT. 470. Plura autem leguntur apud Euripidem: *γενέτης* Io. 916; *εὐγενέτης* Io. 1060, An. 771, Ph. 1510; *ἐγγενέτης* An. 128; *ἐκγενέτης* Ba. 1155; *γηγενέτης* Io. 1466; *κηροδέτης* IT. 1125. Quod Ionis fr. 35 legitur *ἀμφιβώτης* ab Hesychio explicatum vocabulo *περιβόητος*, quo modo formatum sit, non satis perspicitur neque quin corruptum sit dubitatur, qua de re conferas Naucki annotationem. *Προχυται* autem IA. 1112 *προχυται τε βάλλειν πῦρ καθάρσιον χερσίν*, 955, 1471, El. 803, cur a nominativo *προχύτης* ductum esse dicamus, ut fecerunt plerique, causa non est. Lobeckius Paralipomena p. 456 scripsit singularem *προχύτη*, idem ad Ai. 241 signum interrogationis post *προχύται* posuit, neque auctor quidem Thesauri rem ausus est diiudicare. Secutus autem Lobeckium eodem modo, quo *οὐλόχυται*, intellego femininum *πρόχυται* suppleto *κριθαί*.

Homerum vidimus passiva adeo non in *τωρ τηρ* formasse, ut unum *της* usurparet, qua e re cognoscimus Graecorum proprias esse illas formationes passivas. Expeditae autem et quodam modo excusatae eae sunt tanta illa licentia, qua Graeci suffixis suis et passivis et activis promiscue utebantur, velut, ut pauca tantum, quae in promptu sunt, afferam, *δρασμὸς χρησμός*, *νόσημα ποίημα*, *ἀμφιλαφής*, *ἄθικτος*, alia. Eam autem licentiam maiorem esse apud tragicos quam apud comicos poetas satis probavi[2]). Primus et nescio an unus Euripides, cui suffixa *τωρ τηρ της* eundem significatum assumpsissent, sibi formavit passivum in *τωρ*, *ὁμογενέτωρ* Ph. 165, neque aliter quam analogia orta esse intellego passiva illa in *τηρ*, e quibus unum illud *χαρακτήρ*, cuius tamen vis activa in usu non erat, sermone cotidiano receptum esse vidimus.

---

[1]) Quod legitur *ἀτίτης* Ag. 72 non est passivum a *τίω* ductum, sed eodem modo, quo Ch. 65, Eu. 257, Her. 614, activum a verbo *τίνω* ductum intellego.

[2]) Pindari fr. 75 *ἰοδέτης* et *κισσοδέτης* a nonnullis scripta sunt coniectura propter hanc ipsam formationis audaciam suspecta, praesertim cum verba tradita sensui sufficiant.

Pars Tertia.

Tertia hac parte videbimus, utrum nomina agentis quae tractavi verbalem suam naturam retinuerint, an ea aetate, de qua agimus, substantiva iam fuerint, quae esse posterioribus grammaticis videbantur, et quae ratio in hac ipsa re intercedat inter usum tragicorum et comicorum. Ac primo quidem loco disputabo de eis, quae in *τωϱ* finiuntur.

Ipsa compositione inita cum substantivo, quod casui accusativo par est, velut *παιδολέτωϱ* Se. 713, probatur haec nomina initio ab usu et significatu participii quam proxime afuisse. Aperta autem illius principalis structurae afferri possunt exempla Su. 316 *καὶ Ζεὺς ἐφάπτωϱ χειϱὶ φιτύει γόνον*, Ag. 1075 *δόμον . . μισόθεον μὲν οὖν, πολλὰ συνίστοϱα κακὰ καϱατόμα*, quod alterum restituit Wilamowitzius[1]). Ex hoc autem participio quod cognovimus nomen nascitur adiectivum, velut *χεὶϱ πϱάκτωϱ* Ag. 113, *σκοπὸς πϱάκτωϱ* Su. 655. Adiectivum denique abiit in formam substantivi, quod sibi adiungere genetivum, velut *Ζηνὸς ἵκτωϱ* Su. 661, *ἁγήτωϱ μελέων* Me. 426 vix est quod moneam.

Insignis autem et singularis versus est Pe. 925, ubi legimus

γᾶ δ' αἰάζει τὰν ἐγγαίαν
ἥβαν Ξέϱξᾳ κταμέναν Ἅιδου
σάκτοϱι Πεϱσᾶν,

cum substantivum *σάκτωϱ* structuram verbi (*σάττειν τινά τινος*) retinuerit, si modo sani ei versus leguntur. Haec autem difficultas ut tolleretur, scholiasta coniunxit verba *ἥβαν Πεϱσᾶν*. Sed sententiae summa in eo posita est, ni fallor, quod Xerxes dicitur Orcum non tantum refersisse, — quod si hostibus fecisset, optimum esset —, sed suis ipsius Persis refersisse, qua e re sequitur, ut verba illa *σάκτοϱι Πεϱσᾶν* separari non possint. Habemus igitur singularem illam constructionem verborum, cuius difficultas tolli non potest deletis nonnullis verbis, ut e. g. Weilius in maiore editione, cum scripsisset *ἐγγαίῳ*, eiecit *Ξέϱξᾳ* et *Ἅιδου*, neque ceteris illis coniecturis, quarum copiam Wecklinius ad l. collegit. Quod unum restare mihi videtur, hoc est, ut aut *Ἅιδου* mutemus in *Ἅιδαν* aut suppleto *δόμους* vel simili notione genetivum intellegamus analogia eius quod est *ἐν Ἅιδου*, al.

Iam autem relicto Aeschylo ceterorum usum tractemus. Apud Sophoclem verbi vestigia inveniuntur An. 542 *ὧν τοὔϱγον Ἅιδης χοἰ κάτω ξυνίστοϱες*, ubi enuntiatum e nomine pendet, et El. 846 *ἐφάνη μελέτωϱ ἀμφὶ τὸν ἐν πένθει* (*Ἀμφιάϱεων* scl.), sed hoc posterius tam certum exemplum non est.

[1]) Comparari potest versus Ch. 23 *ἰαλτὸς ἐκ δόμων ἔβαν χοὰς πϱοπομπός*. Cf. annotationem Wilamowitzi, Kuehner l. l. II 1, 296.

Nomen verbale sequi posse structuram verbi annotavit quidem Kaibelius, sed *μέλομαι ἀμφί τινα* apud posteriores tantum scriptores legitur[1]), neque dubito, quin praepositio illa verbi *ἐφάνη* auctoritate non minus quam substantivi *μελέτωρ* posita sit.

Deinde verbalis structura nominum in *τωρ* evanescit. Ab Euripide et Aristophane substantiva tantum aut pro adiectivis adhibita ea sunt.

Quam autem vidimus libere usurpatam esse ab Aeschylo constructionem verbalem nominum in *τωρ*, eam omnino reddere noluit poeta illis quae in *τηρ* exeunt, nisi quod composita, velut *ἀνδρολέτειρα* Se. 301, apud eum leguntur. Apparet haec nomina iam pridem substantivi formam assumpsisse, praesertim cum non paucorum significatus tam artis et certis finibus contineretur, cum contra ea, quae in *τωρ* exeunt, poetae licentiae spatium darent maximum. Nomina in *τηρ* autem pro adiectivis usurpata esse, velut *λευστὴρ μόρος* Se. 181, non est quod fusius exponam. Verbalem constructionem omnino non legi modo dixi; pauci tamen sunt loci, qui huic sententiae obstare videntur quique explanatione egent. V. v. Su. 991/3 *ὦ παῖδες, Ἀργείοισιν εὔχεσθαι χρεὼν θύειν τε λείβειν θ', ὡς θεοῖς Ὀλυμπίοις, σπονδάς, ἐπεὶ σωτῆρες οὐ διχορρόπως* ad verba, quae sunt *ἐπεὶ σωτῆρες οὐ διχορρόπως*, supplendum est *εἰσίν*, ita ut adverbium illud ad totam notionem *σωτῆρές εἰσιν*, quod est *σεσώκασιν*, trahatur. Eodem modo Ch. 301/3 *τὸ μὴ πολίτας εὐκλεεστάτους βροτῶν, Τροίας ἀναστατῆρας εὐδόξῳ φρενί, δυοῖν γυναικοῖν ὧδ' ὑπηκόους πέλειν* intellegendum est *ὄντας*; dativo autem illo significatur causa, qua ad urbem capiendam impulsi sunt Graeci, et adiectivum *εὐδόξῳ* per figuram anticipationis additum est. Quaeritur iam unum illud, quo modo dativus intellegendus sit v. Pr. 639

πυρὸς βροτοῖς δοτῆρ' ὁρᾷς Προμηθέα,

de quo ne unum quidem verbum dicere editores suum esse putaverunt. Locis autem, ubi non exspectavi, explicationes inveni. Kaibelius ad El. 1066 et Brugmannus[2]) dativum illum e *δοτῆρα* pendere contendunt Ver it autem hic vir doctus versum quem tractamus: „Den verleiher des feuers an die menschen" et vocavit in comparationem exempla latina quae sunt „iusta orator", „dator divitias"[3]), quibus quid hoc loco probare velit nescio, cum verba *πυρὸς βροτοῖς δοτῆρα* illis exemplis omnino non tangantur. Apparet autem dativum pendere non posse e *δοτῆρα*, cum genetivus ille, qui additus est, ferri non posset, si nomen esset participiale. Immo intellecto *ὄντα* dativum ethicum quem dicunt esse iudico, plane eodem modo positum, quo Eur. An. 1162 Apollo vocatur *ὁ τῶν δικαίων πᾶσιν ἀνθρώποις κριτής*, Hec. 1267

---

[1]) Apoll. Rhod. 2, 376 Χάλυβες . . τοὶ δ' ἀμφὶ σιδήρεα ἔργα μέλονται.

[2]) Grundr. II 1, 431.

[3]) Similia inveniuntur apud Boegel De nomine verbali latino quaestiones grammaticae, Fleckeis. Ann. Suppl. 1903 p. 84.

ὁ Θρῃξὶ μάντις εἶπε Διόνυσος τάδε[1]). Ceterum dativus hic, si verbum additum est, prorsus sollemnis est, velut Her. 640 ὦ φίλταθ', ἥκεις ἄρα νῷν σωτὴρ κακῶν, OC. 438 κἀμάνθανον τὸν θυμὸν ἐκδραμόντα μοι μείζω κολαστήν, Eur. El. 136, Tr. 925 aliisque locis. Eodem tamen iure genetivus usurpabatur, Me. 527/8 Κύπριν νομίζω τῆς ἐμῆς ναυκληρίας σώτειραν εἶναι, IA. 51/2, Hel. 99, al.

Cum igitur Aeschylum verbalem structuram evitasse videamus, Euripides ut quaesitam et antiquitatis specie praeditam eam repetivit, ita tamen, ut casus accusativus ne apud eum quidem nomine regatur. Ph. 140 legimus σακεσφόροι γὰρ πάντες Αἰτωλοί, τέκνον, λόγχαις τ' ἀκοντιστῆρες εὐστοχώτατοι; ibidem 1150/1 ἡμῶν τ' ἐς οὖδας εἶδες ἂν πρὸ τειχέων πυκνοὺς κυβιστητῆρας ἐκπεπνευκότας. Me. 360 et Her. 640 exstat σωτὴρ τινος κακῶν, quod modo attuli, retenta verbi structura, quem usum imitatum esse credo Sophoclem, cum OT. 303/4 scriberet οἵᾳ νόσῳ σύνεστιν· ἧς σὲ προστάτην σωτῆρά τ', ὦναξ, μοῦνον ἐξευρίσκομεν. Aliud enim verbalis structurae exemplum apud eum non legitur, cum An. 1074 τούτων λωβητῆρες et OT. 185 τούτων ἱκτῆρες genetivum intellegi oporteat causalem, ut OT. 48, Ag. 576, neque eo verbalis nominis natura demonstretur.

Iam transimus ad tractanda nomina quae suffixo της instructa sunt. Horum autem nominalia eximenda esse omnino commentationi huic e natura eorum colligitur. Versu enim Ba. 1055 θύρσον ἐκλελοιπότα κισσῷ κομήτην αὖθις ἐξανέστεφον per anticipationis figuram κομήτην positum esse iudicamus neque cum ipso κισσῷ coniungendum. OC. 746 autem ὁρῶ σε . . . ἀεὶ δ' ἀλήτην particula ἀεί, ut fere fit, substantivo addita est, neque ea postulat vim nominis verbalem. His igitur exemplis satis apparet nomina denominativa verbalem structuram non assumpsisse. Cum autem nominalia proxime accederent ad significatum verbalium, qua de re compluries iam verba feci, duobus locis, quibus nimia usi sunt poetae licentia, verbalium modo ea tractata esse videmus. Rh. 312 legimus πολλοὶ δ' ἀτράκτων τοξόται, et sine dubio eadem de causa orta est terminatio ea verbalium propria, quae invenitur in Aristophaneo illo ναύτριαι fr. 825, cum Theopompus iusta terminatione usus sit fr. 79 dicens γυναῖκας ναυτίδας[2]). Adiectivorum denique locum, si modo ita intellegenda sunt[3]), haec nominalia saepe occupabant, velut ὁπλίτης ἀνήρ, δημότης ἀνήρ, alia multa.

Frequens autem verbalis constructio est eorum nominum in της, quae aut a stirpe aut a verbo derivata sunt, praeterquam quod substantiva et adiectiva

---

[1]) Similem dativum effecit Mekler Soph. Tr. 256 ἢ μὴν τὸν ἀγχιστῆρα τοῦδε τοῦ πάθους commutans in ἢ μὴν τὸν οἱ κτιστῆρα . . . , quae tamen coniectura necessaria non est.

[2]) ναυτίδας supra proposui p. 83.

[3]) Cf. Brugmann Gramm. p. 415.

facta sunt non raro. Pe. 959 quidem *ποῦ δέ σοι παραστάται* facile quis dativum quem dicunt ethicum aut pronomen possessivum intellexerit. Se. 270 autem *ἀντηρέτας ἐχθροῖσι τὸν μέγαν τρόπον εἰς ἑπτατειχεῖς ἐξόδους τάξω μολών* facere non possumus, quin verbalem structuram agnoscamus, cum et dativus ille et verba *τὸν μέγαν τρόπον*, quae pro adverbio posita sunt, cum participio *ἀντηρέτας* coniungenda sint. Non prorsus eadem res est v. Se. 582 *τούτῳ σοφούς τε κἀγαθοὺς ἀντηρέτας πέμπειν ἐπαινῶ*. Gravissimum autem exemplum, quod comparetur cum eis in *τωρ* quae modo protuli, legitur Pe. 984 *μυρία πεμπαστάν*, quod ultimum nomen est in *της*, e quo pendet accusativus.

Apud Sophoclem in verbis *ὡς ἐμ' οὔποτε δέξεσθ' ἔτ' ἐν κοίταισι ταῖσδ' εὐνήτριαν* Tr. 922 verbalem structuram inesse non contendemus neque magis in Ai. versu 1092 *ἐν θανοῦσιν ὑβριστὴς γένῃ*, cum *ὑβρίζειν ἔν τινι* non legatur. Adiectivum potius esse dicemus *ὑβριστής*, eodem modo usurpatum, quo *ἐν ἐμοὶ θρασύς* ibidem 1315. Cum dativo pro adverbio coniunctum legimus *πελάταν* Ph. 1164 *πέλασον εὐνοίᾳ πάσᾳ πελάταν*. Addita autem copula *εἰμί* invenitur *ὀφειλέτης*, ita ut significatu accedat ad verbum *ὀφείλειν*, e quo pendere solet infinitivus, Ai. 590 *ὡς οὐδὲν ἀρκεῖν εἴμ' ὀφειλέτης ἔτι*. Verbalem structuram restituebant nonnulli, ut Schaeferus et Dindorfius, Ai. 726, cum mutarent verba *τὸν τοῦ μανέντος κἀπιβουλευτοῦ στρατοῦ ξύναιμον ἀποκαλοῦντες* in ... *κἀπιβουλευτοῦ στρατῷ* ..., cuius tamen mutationis malus ille, nostris quidem auribus, sonus verborum *κἀπιβουλευτοῦ στρατοῦ* iusta causa non est.

Frequentiora autem usus verbalis exempla leguntur apud Euripidem. Verbo addito nominis vis infringitur his locis: Me. 478 *πεμφθέντα ταύρων πυρπνόων ἐπιστάτην ζεύγλαισιν*[1]), An. 977 *ὃ δ' ἦν ὑβριστὴς ἔς τ' ἐμῆς μητρὸς φόνον*. Multis autem locis cum praepositionibus coniuncta sunt nomina. Me. 206 *τὸν ἐν λέχει προδόταν*, Su. 902 *ἐν ἀσπίδι δεινὸς σοφιστής*, Su. 280 *οἴκτισαι ἀμφὶ τέκνων μ' ἱκέταν*, Tr. 426 *οἱ περὶ τυράννους καὶ πόλεις ὑπηρέται*, El. 821 *Πυλάδην μὲν εἷλετ' ἐν πόνοις ὑπηρέτην*, Or. 574 *ἥτις μεθ' ὅπλων ἄνδρ' ἀπόντ' ἐκ δωμάτων πάσης ὑπὲρ γῆς Ἑλλάδος στρατηλάτην προὔδωκε*, Her. 140 *ἐκ τῆς ἐμαυτοῦ τούσδε δραπέτας ἔχων*, quocum comparetur versus Ba. 1370 *ἐκλείπω σ' ἐπὶ δυστυχίᾳ φυγὰς ἐκ θαλάμων*. Verbum autem additur nomini, et ex eis duobus vocabulis coniunctis pendet infinitivus ita ut e verbo, quod inest in nomine, Her. 33 *ἱκέται καθεζόμεσθα βώμιοι θεῶν προσωφελῆσαι*, Rh. 965/6 *ὀφειλέτις δέ μοι τοὺς Ὀρφέως τιμῶσα φαίνεσθαι φίλους*, ubi facile suppletur *ἐστίν*. Denique casus obliquus, qui verbo posci solet, nomini additus est duobus locis. Fr. 852 enim legimus *ὅστις δὲ τοὺς φύσαντας μὴ τιμᾶν θέλῃ μή μοι γένοιτο μήτε συνθύτης θεοῖς*[2]); Ba. 571/2 exstat *διαβάς* ... | *Λυδίαν τε, τὸν εὐδαιμονίας* | *βροτοῖς ὀλβοδόταν*,

---

[1]) Cf. quae Arnimius ad l. annotavit.

[2]) Traditum est *τοῖς θεοῖς*.

quem locum eodem plane modo, quo versum quem p. 94 tractavi Pr. 639 *πυρὸς βροτοῖς δοτῆρ᾽ ὁρᾷς Προμηθέα*, intellegere deberemus, nisi differret accusativo, qui inest in *ὀλβο—δόταν*. Verba autem explicanda sunt hoc modo: *τὸν τὸν τῆς εὐδαιμονίας ὄλβον βροτοῖς διδόντα*, cum quibus conferas El. 1177 sq. *ἰὼ Γᾶ καὶ Ζεῦ πανδερκέτα βροτῶν*, Ba. 1020, Se. 716, alia. Ceterum autem nomina haec composita eis locis quos attuli mera sunt substantiva. neque est quod Or. 175 *πότνια νύξ, ὑπνοδότειρα τῶν πολυπόνων βροτῶν* Wecklinium sequamur conicientem *τοῖς πολυπόνοις βροτοῖς*.

Haec omnia sunt, quae verbalis constructionis exempla e tragicorum fabulis afferri possunt. Iam restat, ut cognoscamus, qualis fuerit usus poetarum comicorum. Atque nomen illud in *τωρ* et ea, quae in *τηρ* exeunt, vera substantiva fuisse eorumque vim ac potestatem accepisse vix est quod dicam, cum satis appareat e certo illo significatu, quo ea nomina praedita esse supra p. 87 demonstravi. Neque vero multo plura dici possunt de eis, quae in *της* finiuntur. Etsi enim compositis, quae sunt *συκοφάντης, μετεωροσοφιστής, μεριμνοφροντιστής, πανδοκεύτρια, ἀνδρεράστρια*, alia, satis demonstratur natura horum nominum quae fuerit, tamen structura verbalis, qualem quidem invenimus apud tragicos, in usu prorsus non erat. Apud Aristophanem enim elici ea non potest e versu Av. 120 *ταῦτ᾽ οὖν ἱκέτα νὼ πρὸς σὲ δεῦρ᾽ ἀφίγμεθα*, cum *ταῦτα* non obiectum sit, sed intellegi debeat, ut recte scholiasta explicavit, *διὰ ταῦτα*, velut saepe legimus *ταῦτ᾽ ἄρα*, Ach. 90, al. Nomina et in *τωρ τηρ* et in *της* formata in sermone vulgari aut ipsa substantiva sunt aut pro adiectivis substantivo adiunguntur sine additamento; alterius illius usus ne vestigium quidem inveni.

Videmus igitur eodem modo, quo nomina actionis in *σις μος μα*, nomina etiam agentis in *τωρ τηρ της* verbalis suae naturae indicia in artificiosa tantum dictione tragicorum prae se ferre. In sermone autem cotidiano utriusque generis nomina substantivorum loco habentur eorumque legibus subiciuntur. Ne Homerus quidem aliter eis nominibus utebatur, quantum quidem video; quas autem regulas posteriorum temporum scriptores secuti sint, nescio, etsi e grammaticorum verbis colligere audeo illis etiam ea mera substantiva fuisse. In hanc autem rem altius inquirere, semper tamen ratione habita sermonis et artificiosi et naturalis, ut tandem aliquando melius cognoscamus, quantum huic aut illi tribuendum sit, ei reservetur, qui maiore ambitu ad opus certe fructuosum aggredietur. Ad id autem opus conficiendum, si pro mea parte contuli, satis habeo.

APPENDIX.

Hac appendice ea componere constitui quae Euripidei sermonis propria in Sophoclis fabulis inveni. Eadem hac compositione nonnullorum huius poetae nominum usus magis fiet perspicuus, quem supra commemorasse tantum contentus esse debui. Non autem quaestionem proferre, sed componere tantum ea volui, quae, etsi non ignoro rem eis confici non posse, perire tamen nolui. Spero autem aliquid me esse collaturum ad diiudicandam quaestionem, utrum Aiax an Antigona prius docta sit, quantum quidem haec res ex auctoritate, qua minor valebat poeta ad maioris sermonem conformandum, concludi potest. Satis esse duxi priorum tantum quattuor fabularum rationem habere, cum posteriores tres nihil novi addere mihi viderentur.

Atque quantum quidem attinet ad Aiacem et Antigonam haec possum affere, de quibus accuratiora qui desiderat ea conferat, quae supra copiosius exposui. *Ὁ φύσας*, quod Aeschylus non usurpabat, primum legitur apud Sophoclem in Ai., velut 516, a quo eodem notione patris continetur Ai. 516, Tr. 311; *τόκος* et *γονεῖς* desunt in Antigona; *κόρος* non legitur in An. pro filio; nullum nomen, quod patrem aut matrem significat, in An. pluraliter usurpatur; *ὁ τεκών, ὁ φύσας, ἡ τεκοῦσα*, similia nomina tragica desunt in An.; usus pluralis nominis *τέκνον*, si omnino statuendus est apud Sophoclem, non invenitur in An. Nomina verbalia in *μος* et *δων* desunt in An. Nomina in *μα* significatus participialis pluraliter non usurpantur in An., legitur Ai. 245; nominum in *μα*, quae imprimis Euripidea sunt, activum est in An. unum, *κοιμήματα* 864. in Ai. quattuor, 338, 674, 833, 1033; nomina in *μα* verbalem constructionem non assumunt in An., si modo iure mutatus est versus ille 1219; nomina in *μα* significatus participialis de hominibus non dicuntur in An. nisi contumeliosa et infamia. *Ξυνίστωρ* An. 542 verbalem prae se fert structuram, qui usus Aeschyleus est, cum ceteri poetae nomina in *τωρ* non ita tractaverint; nomina in *τηρ* et *της* in An. substantiva sunt, cum Sophocles communem usum secutus sit, Ai. 590 legitur *ὀφειλέτης*, e quo pendet enuntiatum; nomina vere verbalia

in *τωρ*, excepto sollemni illo *ἀλαστωρ* An. 974, primum leguntur in Ai., 396, 517; passiva in *της* exeuntia desunt in Antigona.

His autem exemplis clare atque evidenter apparere videtur Sophoclem in Aiace auctoritatis minoris sui aemuli vestigia praebere non minima.

In OT. autem fabula haec inveni quae proferam. *Τέκνα* OT. 1250 pluraliter pro singulari positum est; *παρθένος* filia est primum OT. 1462; feminina forma *εὐνάτειρα* legitur 1101, si modo recte est restituta. *Σωτήρ* unum ex eis, quae in *τηρ* exeunt, verbalem structuram assumpsit OT. 304; unus ille pluralis *νυμφεύματα* legitur OT. 980; nomina verbalia in *μος* finita primum leguntur in OT., 30, 99; *γενέτης* passivum significatum habet uno versu 470; *κήδευμα*, unum iliud in *μα* finitum, quod non pro nomine contumelioso dictum est, exstat OT. 85; *γονεῖς* primum legitur in OT., velut 436; *οἱ τεκόντες*, al. pro patre exstant OT. 1007, 1176.

In Electra denique praeter ea, quae supra attuli, Euripideae dictionis exempla haec potissimum inveni. *Κάσις* pro feminino usurpatur El. 325; forma Euripidea *τεκέων* El. 187; *τεκνολέτειρα* El. 107, quod nomen ab Euripide usurpabatur frequenter, apud Sophoclem autem una certa forma in *τειρα* est idemque unicum exemplum nominis in *τηρ* cum substantivo aliquo compositi; *ὀχήματα* pluraliter dicitur uno versu 740; verbalis conconstructio nominum in *μα* incipit ab Electra.

Haec sunt, quae gravissima alienae dictionis exempla apud Sophoclem inventa afferre possum. Satis eis probatur, credo, Ai. OT. El. fabularum sermonem sub auctoritate Euripidis ortum esse, quae nobis quidem incipit a Medeae aetate, Antigonae autem purum Sophocleum esse. Quo autem ordine illarum fabularum alia aliam secuta sit, ut diiudicetur, maiore quaestione opus erit.

CONSPECTVS DISSERTATIONIS.

INDEX NOMINVM QVAE PRAECIPVE TRACTAVI ET LOCORVM QVOS EXPLICAVI.

VITA.

Paulus Menge natus sum a. d. XIV Kal. Nov. anni 1882 Hamburgi patre Carolo matre Mathilde e gente Beth, quibus adhuc viventibus gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae. Primis litterarum elementis imbutus patriae meae gymnasium adii Johanneum, cuius per septem annos discipulus fui. Deinde cum pater Gottingam migrasset, per duos annos frequentavi huius urbis gymnasium regium. Inde a vere anni 1901 in hac academia studiis philologicis et historicis operam do usque ad hunc diem excepta anni 1903 aestate, quam in universitate Monacensi peregi. Docuerunt autem me viri illustrissimi et doctissimi Monacenses Crusius, Furtwaengler, Heigel, Mueller, Traube, Woelfflin, Gottingenses Baumann, Brandi, Busolt, Dilthey, Husserl, Lehmann, Leo, Guil. Meyer, Mollwo, Guil. Schulze, Schwartz, Sethe, Stein, Viertel, Wackernagel, Wentzel, quibus omnibus debitam gratiam habeo semperque habebo, imprimis autem Busoltio, Leoni, Schwartzio, quorum parato semper et benigno consilio in studiis meis inde ab initio ductus sum atque sustentatus.